

HERBARTI

DE

ANIMI IMMORTALITATE

DOCTRINAM

ADUMBRAVIT

FR. CAR. LOTT

DR. PH.

GOTTINGAE 1842.

IN COMMISSIS APUD DIETERICH.

Prooemium.

§. 1. De immortalitate animi ut cogitemus, cum innumeris causis invitamur, tum imprimis morte virorum egregiorum, qualem ego certe Herbartum venerari consuevi, jure incitamur. Animus e corpore discedens, num deletur et exstinguitur, an, e nostris oculis quamvis evectus, perdurat tamen sui conscius? sibique conscius, non solummodo posteritatis, defunctorum operibus fruentis, memoriae traditus.

§. 2. Quam quaestionem nonne ipse pertractavit vir illustrissimus, ingenii sagacitate aeque ac doctrinae ambitu admirabilis? Pertractavit utique et ita quidem, ut immortalitatem defenderet. Quodsi autem, quae senserit ille, recte perspicere velis, universae ipsius doctrinae partes tibi disquirendae sunt, et singula argumenta apte conjungenda.

Quod quum ego facere instituam, nequaquam totius systematis encyclopaediam componere mihi in animo est, sed argumenta in hac dissertatiuncula nonnisi referre; qua quidem doctrinae nostrae qui aliquantulum jam noverit, uti possit tanquam adminiculo, ceteri prima hujus doctrinae cognitione imbuantur, postea forsan accuratius perlustrandae.

§. 3. Herbartus quidem tres ponit universae philosophiae quaestiones primarias:

Quid sit?
Quid placeat vel displiceat?
Quid verum vel falsum sit?

Prima quaestio pertinet ad Metaphysicam,
secunda ad Aestheticam;
tertia ad Logicam hucusque minime absolutam. —

Herbartus philosophiam „practicam" partem esse censet universae Aestheticae, nihil curans eos, qui verbis potius inhaerentes, quam rem perspicientes ipsum male intelligerent adeoque inique vituperarent.

Philosophia igitur practica Aestheticae quasi provincia est et ea quidem, in qua tractantur judicia de voluntatibus, ut in aliis provinciis Aestheticae judicia de formis corporum vel sonorum etc. De voluntate agitur, ubi de moribus (περὶ ἤθους) quaestio movetur, sive singuli hominis, sive societatis vel minimae vel maximae.

Quibus quaestionibus prorsus inesse reliquas omnes, id demonstrandum est introductione philosophica.

§. 4. Cur Herbartus philosophiam hoc fere modo jam ab Aristotele, si ipsam rem spectas, accuratius proposito exstruxerit, ejusdemque formae immutationibus, quas recentiores philosophi susceperunt, rem non melius conformatam sed deformatam potius censuerit? — ita interroganti hoc loco id respondisse sufficiet: Veram trium istarum quaestionum indolem accurecte ita indicari, neque quidquam aliud desiderari ad disquisitionem cujusvis generis incipiendam; — conjunctionem autem trium quaestionum, si qua efficienda est, ab ipsa disquisitione recte progrediente exspectandam, neque vero impetu quodam postulandam esse.

Quod attinet ad singulare hujus disputationis argumentum, consulenda mihi erit Metaphysica et ex universa Aesthetica Ethica fere sola. In rebus teleologicis, quae etiam huc pertinent, et Metaphysica et Aesthetica simul adhibendae erunt.

Pars ethica.

§. 5. A Kantio exordiens tum statui philosophiae hodierno tum ducis mei exemplo convenienter agere mihi videor. Ab illo enim Kantio plurima hujus ut ita dicam texturae fila deducenda sunt, ita quidem ut, quomodo convergant vel divergant, ex comparatione cum Kantio facilius apparuerit. Qua quidem comparatione uti possis tanquam interprete in hac tanta notionum ac vocabulorum discrepantia, minime autem tanquam judice de veritate et falsitate; hoc enim judicium hujuscemodi comparationibus non inniti debet.

Et Kantius quidem eas de Deo, de libertate, de immortalitate quaestiones, quae plurimis solae philosophandi causae esse solent, ad dirigendam autem disquisitionem philosophicam non sine detrimento quodam saepe nimis valent —, nam problemata, quorum nostra maxime interest, non ea sunt, quae doctrina primo loco solvere queat —, eas inquam quaestiones in officiorum sanctitate, tamquam unico fundamento, collocaverat. Hanc enim qui non sentiat et agnoscat, neminem esse, quamquam plures qui in agendo non curent. Jussum autem illud officii evanescere, rationem theoreticam contradicere practicae, ideoque rationem ipsam

sibi [1]), si deessent conditiones, sine quibus huic jusso satisfieri nequit. Conditiones autem dicit has: Deum, qui unus possit beatitudinem merito convenientem distribuere; libertatem, sine qua officio satisfacere et beatitudinem mereri nequeas; immortalitatem, sine qua tempus nos deficiat ad officium penitus explendum.

Kantium hos quasi fidei articulos venerabiles magis reddidisse, quam argumentis corroborasse, quis est qui non videat? Nonne Kantius ipse hoc sensit? nonne verba fecerat de iis, quae ratio practica postularet? Quid autem, si ea, quae fiunt in rerum natura, nihil curarent ea, quae ut fiant ratio practica poscat? Nonne libertati adeo diffidit, ut genus hominum ad meliora provehi negaret? (vide: *Religion innerhalb der Gränzen der blossen Vernunft.)*

Kantianae igitur de hisce doctrinae punctum saliens est sanctitas officii a singulorum arbitrio minime dependentis, legis obsequium flagitantis. Cui sententiae quamvis lubentissime assentiamur, notio tamen officii, legis obstringentis, accuratiore analysi tractanda erit; eluxerint hoc in negotio causae, e quibus res diversissimae confundi et commisceri soleant.

§. 6. In notione officii insunt duae voluntates, altera jubens altera jussum accipiens (eodem modo lex alia jubet alia vetat); quaeritur autem, cur superior sit jubens ista voluntas altera voluntate ad obediendum obstricta; sive ejusdem hominis sit sive alius, sive singuli sive societatis?

Quod vi superior sit, in eo causa esse nequit; tum enim esset alter tyrannus alter servus, hic igitur ligatus esset ut naturae lege, non obligatus.

Obligata autem voluntas hoc potius est, ut, quae detrectet obsequium, ad sui ipsius, volentis, judicium offendat,

judicium videlicet de voluntate honesta vel turpi, ejus quasi exemplaria delineans;

ea quidem necessitate offendit, qua judicium ex contemplatione voluntatum dijudicandarum emergit,

ex contemplatione studio et irae non obnoxia.

Quodsi ex istis judiciis, exemplaria describentibus, voluntas enata est, ut ea sustineat adque normas evehat, tum adest voluntas caeteris omnibus volitionibus superior, quas regere instituit; ejusque tamquam legis auctoritas innixa stat ipsis illis judiciis, ad quae offendunt volitiones, superiori huic voluntati renitentes.

Quaenam autem sint ista exemplaria, id in primo limine a philosophia practica exponendum est.

Qua ex re apparet, Kantianae legis cum necessitate inevitabili cogentis vim non esse quasi tyranni vocem, sed inflexibile nullo arbitrio profectum judicium, idealem ut ita dicam necessitatem; alia, quae-

1) *Cr. d. pr. V. 177, 178. (6. Ausg.)*

que sit, necessitas ab hac toto caelo abhorret; — libertas autem etiam inest voluntati obedienti, quatenus conformis est conscientiae volentis ipsius, non autem subjecta dominio cupiditatum atque rerum.

§. 7. Haec quanquam paucis lineis adumbrata sufficient ad definiendum, quid summam officii auctoritatem minime negantes, concesserimus, quid non. Quid concesserimus, aperte dictum est; neque vero usquam in tractanda officii notione aliquid repertum est, unde concludi queat, id, quod jubeatur, etiam perfici posse: non potuit reperiri in voluntatis imperantis potentia; nam potentiae, quippe ad sanctitatem officii non pertinentis, rationem repudiavimus; — non in judicio de omnibus volitionibus, utrum honestae sint an turpes? non autem quid possint quid non? decernente; est enim pro dolor! voluntas inconveniens legi non minus efficax, quam conveniens; de his et de conditionibus, quibus voluntas existere et efficax esse possit, in hac disputatione sermo nullus factus est [1]).

Est autem verendum, ne, si ad ista judicia tamquam ad jussorum fontes non penetraveris, jubentem voluntatem quasi pro persona (s. v. v.!) habeas, pro legislatore, cujus stultitia certe non tanta sit putanda, ut conditiones jussum exequendi in lege ferenda neglexerit; talem ejusmodi personam adeo in animo humano ponere Kantius eo minus dubitavit, quo magis animi actiones inter notissimas istas personas: Sensualitatem, Phantasiam, Mentem, Rationem, et theoreticam et practicam, tamquam inter collegas, distribuere consueverat.

§. 8. Jam qui post Kantium philosophati sunt plurimi hanc simplicem disquisitionem, qua aditus paratur in philosophiam practicam, non instituere eo loco, quo Kantii postulata, experientiam transscendentia, radices egerunt; viam potius, qua unica ad „mundum intelligibilem“ perveniri posse dixerat Kantius, sibi recludere dubitabant; lustrantibus Kantiani ut ita dicam dramatis personas tanta jactura opus vix esse videbatur:

Nonne Imperativus categoricus postulatum fuit rationis practicae? et haec certe eadem quae ratio theoretica [2])? Unde igitur rationis practicae primatus? unde quod ei concedebatur prae ratione theoretica jus, de mundo intelligibili aliquid edicendi? Kantio ratio theoretica nil erat nisi „principiorum regulativorum“ facultas, ex amplificatis categoriis exortorum, et categoriae quoque vanae erant sine „materia experientiae,“ quae illis formis nescio quomodo infunditur; eademque materia redundat a „noumenis.“ Quae quum sublata fuerint, non modo causa, cur ratio theoretica inferior esset, amplius non aderat, sed etiam, quin utriusque postulata rata

1) Si opponimus voluntatem, quae vere laude digna est, ei quae esse videtur, illa voluntas plus realitatis habere creditur, quae notionum confusio non sine momento fuit in historia philosophiae practicae.

2) Conf. v. c. Kant *Crit. d. reinen Vern.* (7. *Aufl*) 622.
„ „ „ *Urtheilskr.* (3. *Aufl.*) 462.

fierent, quin utriusque principia regulativa ad perfectum imperium veherentur, nulla impedimenta restabant, quae alioquin a noumenis metuenda fuerant; his sublatis effectum sane fuit, ne amplius reniterentur, quam fugiens repugnantiam Kantius ad Dei auxilium profugerat.

Fichtius ea sustulit!

Possit quidem, si rem obiter spectes, scopus, ad quem antea innitebantur, sublatus esse videri, mundus inquam intelligibilis, ad quem rationi theoreticae viam munire conabantur; verum primum quidem Fichtius sibi id servavit, ut τὸ „Ego purum" sit, — alias enim quis esset ille, qui rationi convenienter cogitat et vult? res vero, quae esse videntur, nil ipsi erant, nisi cogitamina hujus Ego. Fichtium ἐνθουσιασμὸς ἐθικὸς eo rapiebat, ui illam τοῦ Non-Ego dissolutionem minoris aestimaret; quid enim aliud ei curae erat nisi id, ut ratio prorsus imperium teneret? nil igitur „noumena" ipsi valebant, ab ethico judicio prorsus aliena.

Alios quoque homines subito et ut ita dicam de coelo detraxit, quibuscum „regnum gratiae" constitueret, cujus Kantius [1]) sermonem injecerat (eodemque pertinebat hujus legumlatio generalis). Illorum coexistentia igitur non minus quam istud regnum penes rationem erat; ita „purum Ego" ad rationis dignitatem evectum [2]), adeoque distractum est, ut complecteretur familiam, civitatem, ecclesiam. . .

Schellingius, qui alienus erat ab ista naturae contemptione, terminosque τοῦ Ego, qui (ut Fichtii more loquar) intelligi non possint [3]), tamquam immanentes ponere innitebatur, τὸ Ego purum cum Spinozae substantia univit, hanc ita in Ego universale transformans.

Cui unius entis divulsioni in infinitam rerum multitudinem, quum τοῦ Entis notio repugnaret, ecce Hegelius hanc repugnantiam ita solvit, ut Entis notionem tolleret, Fichtio atque Schellingio reapse inutilem, quippe qui positionibus atque contrapositionibus, attractionibus atque repulsionibus, actionibus quas dicebant polares, — ut verbo dicam, notione τοῦ Fieri omnino occupati fuerant; sustulit τὸ ὄν, id aequans τῷ Nihil, Zero in scala evolutionis Ideae absolutae.

§. 9. Itaque ex officii jusso, conditiones, sub quibus ipsi satis fieret, pollicente, enatum erat universum rationis ex se et ad se evolvendum.

Qualis igitur erit realis ista evolutio? certe dialectica non minus theoreticae quam practicae quippe unius ejusdemque rationis. Ita leges fiendi cum legibus cogitandi et volendi egregie coactae, diversissima quaeque in unum contracta fuere, quae fuissent discernenda, ut, quomodo essent recte jungenda, ex decursu disquisitionis apparuerit. Kantii

1) *Kant Cr. d. rein. V. 622. Cr. d. pr. V. §. 7. S. 62.*

2) Kantii ipsius (v. c. *Cr. d. r. V. 306.* Nota.) vestigia premendo.

3) „*Die unbegreiflichen Schranken*" (*Fichte, Wissensch.-Lehre, S. 273.*), quos Fichtius tamquam residua noumenorum, quae τὸ Ego idealistica sua ratione absorpserat, retinuit.

rationi mere regulativae, cui persuasum est conditiones regularum explendarum ratas fieri, victoria parata est methodo Hegelii speculativa; quae consequentia an non deductio ad absurdum sit? id hujus loci non est, copiosius exponere; certe de philosophia bene meretur: nam luce clarius apparuit, quam violenter notiones realitatis et dignitatis tractaverint ii, qui eas non caute discernentes ad id usque depelluntur, ut dicant: „*Das Vernünftige ist wirklich und das Wirkliche ist vernünftig*"; — apparuit porro, quam confusa sit notio cogitandi cum recte cogitandi notione [1]), ex innumeris contradictionibus, quibus delectatur ista methodus, quae Kantii antinomias in majus auctas ad *νόμον* auctoritatem evexit. Diversitas earum notionum (de qua fusius disseremus infra) hoc modo magis perspicua evasit, ut lineae directionem suam servantes eo plus divergunt, quo diutius a vertice eas persequaris.

§. 10. Quanquam igitur Kantii postulata accipere non possumus, quatenus ille sanctitatem officii pro fundamento habet disquisitionum de iis quae fiunt, tamen quatenus ex iis ethicum momentum elucet, quod inest nostrae quaestioni ad illa postulata pertinenti.

Quod ethicum momentum ut ex Herbarti sensu accuratius explicemus, prima lineamenta ex ejusdem philosophia practica magis proponantur quam exponantur necesse est.

In quo momento diutius ex hac quoque causa immorari non pigeat, ne metaphysico negotio se intrudat idque turbet; quam curam non esse inanem, praemissa moneant.

Fundamentum ejus ethicae in hoc positum est: Sunt certa quaedam primitiva laudis et vituperii judicia, quae de volendo feruntur.

Meminerint lectores, ad hoc fundamentum nos jam prius deductos fuisse, notionem officii analytice tractantes. Quo jure dixerimus: judicia primitiva, itemque ea plura esse, infra explicabimus.

§. 11. Dudum consuevimus, judicia, quae, utrum quid placeat an displiceat? exprimunt, „aesthetica" appellare, quibus illa judicia, voluntatem spectantia, logice coordinanda sunt, quamquam in his, ut saepissime in rebus poëticis, nihil est quod possis *αἰσθάνεσθαι*; quo ubique

1) *Herbart's Lehrb. z. Einleit. in d. Philos. (4. Ausg.), S. 147.: „Aber (so wendet man ein), „wie können denn . . . Begriffe wirklich gedacht . . . werden, die unmöglich sind, die „sich widersprechen? — Es ist seltsam, dass ein solcher Einwurf ernstlich vorgebracht „werden kann von Männern, deren Jeder vielmals seinen Gegner gesucht hat* ad absurdum *zu „führen. Der Gegner könnte sagen: was ich wirklich denke, das muss denkbar, also „kann es nicht absurd sein. Auf die Weise wären alle Irrthümer gerechtfertigt. — Und „wäre man denn verlegen um die Antwort, die einem solchen Gegner gebührte? Man würde „ihn auf sein dunkles, verworrenes Denken aufmerksam machen, in welchem er die wi„derstreitenden Merkmale nicht gesondert, also nicht verglichen hatte; gleich einem „Träumenden, der das Ungereimteste wirklich träumt, beim Aufwachen aber diese „Wirklichkeit keineswegs für einen Beweis von der Denkbarkeit des Geträumten „hält."*

eatenus tantum opus est, quatenus materia objecti aesthetici percipitur; Beethoven et tales viri cogitant res musicas . . .

Praedicata quae contemplatio aesthetica objectis tribuit, sunt notissima illa: pulchrum et deforme, sublime et humile[1]; dico: objectis, — nam jucundum vel injucundum *(das Angenehme und Unangenehme)* ejusmodi est ut nisi sentiri non possit, neque id, de quo suavitas vel contrarium praedicetur, cogitando secerni et tamquam objectum animo objici queat: quis, quaeso, odore rosae v. c. delectatus dicere potest id, cui hanc suavitatem adscribat?

Aestheticam aestimationem non facile quis commutaverit cum appetitu vel aversatione; multo minus cum dijudicatione mere theoretica nil praeferente nec postponente; quae tamen cum illa aesthetica optime conjuncta esse potest, ut v. c. in illo, qui pulchram vocat statuam eandemque simul ex regulis technicis dijudicat; aut in illo, qui regionis amoenitatem laudat simulque in ea disquirenda spectat res geometricas vel geologicas, vel oeconomicas vel tacticas; aut in illo, qui non solum de re aliqua gesta immo vero de universa hominis indole ethica judicia fert, sed etiam, quomodo ex legibus psychicis derivanda sit, scrutatur (v. c. ubi de criminibus agitur); non minus in dijudicandis hominum institutis publicis . . .

§. 12. Judicia aesthetica sunt primitiva,

tum si respicias, valorem iis pronuntiatum objectisque contemplationis addictum[2]) non duci ab alio quodam supposito tamquam fine vel fonte[3]) — quo in casu, nisi in voraginem seriei infinitae induci, i. e. omnem valorem negare velis, illud proprie, cui hunc alium valorem tribuis, pulchrum dicendum erit, —

tum si respicias, pulchrum foedumque peculiari modo manifestum esse, quem concludendo e praemissis mere theoreticis minime assequaris. Nihilominus haec aesthetica evidentia innititur comprehensioni cuidam.

§. 13. Firmum enim et accuratum judicium, caeteris paribus, eo lentius maturescit, quo magis compositum est objectum contemplationis aestheticae; homo rudis, ut gaudeat sensibus quam integerrimis, in id (judicium) tamen non evehitur, absolutam illam totius rei comprehensionem non assecutus. Qua ex aesthetiei judicii conditione facile perspicies, quam inimica ei sit inquieta cupido et quaecunque animi perturbatio; sed inimicissima certe est ei voluntatum ipsarum dijudicationi: quanta enim difficultas in conservanda judicis, in nullius partem transeuntis, aequi-

1) Judicia de volitionibus, quatenus ad personas, quae volunt, referuntur, tribuunt praedicata honesti et turpis, laudandi et vituperandi.

2) Idemque valet de judiciis aestheticis, quibus effaris, aliquid deforme, turpe esse.

3) v. c. illius, cujus, ut multi opinantur, imitatio vel simulacrum Pulchrum sit.

tate atque integritate, potissimum ubi de tua ipsius voluntate judicium ferre debeas!

Et consulto ad terminum, quem homo agrestis non transgreditur, cogitando regredi possumus, objectum aestheticum analysi divellentes ita ut nil nisi singula restent, vel eorum, quae comprehensa erant, mera summa, quam vocant materiam opponuntque formae, spectatorem bonis artibus excultum compellenti, ut rem pulchritudinis laude vel foeditatis vituperio afficiat; cessante hac forma et cessant praedicata pulchritudinis vel foeditatis.

§. 14. Forma (conjunctio, ratio, relatio) haec vel simplex est vel complexus formarum, quem mathematico more formam superioris ordinis nominamus; eandemque meditando in formas inferioris ordinis dissolvere licet, quarum quaevis jam per se spectata objectum dijudicationis aestheticae esse potest. Quae quidem analysis multum adjuvat ad accuratiorem, distinctiorem totius rei comprehensionem atque dijudicationem, valoremque non demonstrandum quidem, sed monstrandum, dummodo non tota res in singulas partes, a contemplatione aesthetica alienas, inepte diffindatur.

Istae igitur formae simplicissimae quas ulterius decomponere non licet, nisi residuum omni pretio aesthetico carens relinquere, omnem vim aestheticam destruere velis [1]), appellentur elementa aesthetica.

Systematis talis, ordinis superioris, exemplum praebet civitas, quae superioris ordinis est quam societates, corpora . . ., quibus ea constat; sunt tamen superioris ordinis quam personae, quas dicunt physicas, earumque quaevis magis exculta amplum denuo est systema volitionum . . . [2]). Non possum praetermittere hoc exemplum quin annotem, quam difficilis sit aesthetica totius hujusmodi objecti adeo compositi ac contorti dijudicatio accuratior, ita ut jam haec una causa sufficeret ad tollendam mirationem illius, qui compererit, viros egregios atque circumspectos de rebus humanis adeo diversimode judicare, virosque minus praestantes vel minus consideratos ad infitiandum omne objectivum [3]) de voluntatibus judicium depelli, sequentes hoc sensu regulam „de gustibus non esse disputandum“, quum de pretio voluntatis — vel forsan, ut sibi constent, de illo cujuscunque objecti quaestio movetur.

§. 15. Nec solum multae sunt formae illae elementares, sed etiam variae, quarum quaevis non pendet a reliquis (§. 12.) et suo peculiari modo placet vel displicet. Verba quidem: „pulchrum“ „turpe“ . . . eadem sunt pro diversissimis objectis, eatenusque ad familiam illorum verborum ut: coloratum, sonans, . . . pertinent, quatenus inania

1) „*Zum Teufel ist der Spiritus, das Phlegma ist geblieben.*“ Schiller.

2) Alia exempla: Corpora organica; musica sonorum compositio, . . .

3) i. e. ex ipso contemplationis objecto repetendum.

sunt, nisi in ambitum eorum (sensu logico) descendas; illa verba nil significant caecis et surdis . . ., haudque minus inania essent praedicativa: pulchrum et turpe, iis, quos certa quaedam res placens vel displicens nunquam tetigerit, sive objectum reale sive mera imago (v. c. homo quem in vita cognovimus vel a poëta fictus).

§. 16. Elementares istas formas omnes et accurate describere, primum est aestheticae officium. Quaestio, num illae tanta in simplicitate et cunctae et ad formas superiorum ordinum omnibus modis conjunctae in rerum natura dentur vel unquam dari possint? — haec quaestio est quoad illud officium nullius plane momenti, ut Geometria pura similem de figuris geometricis motam quaestionem minime curat eamque a se alienam censet [1]).

Edocturus aestheticam v. c. sonorum primum curabit, ut instrumentum musicum edat justos sonos, inter se consonantes et dissonantes. Negotium vero ejus, qui elementares volitionum rationes *(die ästhetischen Grundverhältnisse der Willen)* animo repraesentare vult, nequaquam ita expeditum est, quum eas nonnisi notionibus describere queat. Suscipiamus ergo, quantum hic licet, negotium, aestheticas volendi, ut ita dicam, imagines adumbrandi!

§. 17. Nostra de officii notione disputatio perducta est (§. 6.) ad judicia laudis et vituperii, lata de voluntate, eademque de voluntate ipsius judicantis. Homo *(die Person)* ita ponitur suam ipsius voluntatem, dum ea movetur, conspiciens ejusque valorem dijudicans. Quodsi ea voluntas, in qua persistit, huic dijudicationi respondet, quodsi ea voluntas ad formam, judicantis obtutui obversantem, efficta est, jam unam voluntatis speciem ex iis, quas quaerimus, invenimus. Quae voluntas, congruens cum dijudicatione ipsius volentis, non minus pulchra est quam discrepans a judicio, deformis. Haec ipsa species Kantii animo obversata est, quum de voluntate ad rationem dirigenda dissereret; in illa harmonia Kantius agnovit libertatem, et Herbartus illi voluntatis habitui nomen libertatis internae vindicavit. Platonis respublica tamquam persona amplificata eandem harmoniae, quam *δικαιοσύνην* appellat, speciem refert [2]).

1) Ab omni vero (non solum a primo) aestheticae munere aliena est quaestio, quae institui potest de contemplatione aesthetica, tamquam actu psychologico in spectatore; a responsione, ad hanc quaestionem danda, judicium aestheticum ipsum adeo non pendet, ut potius haec quaestio tamdiu omni objecto careat, quamdiu judicium factum non sit. Hanc quaestionem spectator a se removeat necesse est, ne attentio sua ad se reflexa ab objecto ipsi proposito deflectatur. Cautelae ejusmodi vix supervacaneae illi videantur, qui commixtiones disquisitionum aesthetici generis cum mere theoreticis norit.

2) Cui primae aestheticae formae immoremur, ut in ea tamquam exemplo demonstremus, ad quae in tali forma attendendum sit: Membra ejus (termini relationis) comprehensa sunt, quum judicans idem est cum volente; sed non minus distinguitur judicium a voluntate, exemplar a simulacro *(das Vorbild vom Nachbilde)*; quae non distinguuntur, in unum penitus confluentia, relationem non constituunt. — Tollamus *α*) illam identitatem, re-

§. 18. Quid est autem, quod dijudicatio illa comprobet vel improbet? Haec quaestio impellit ad reliquas aestheticas volendi formas indagandas. Sed prius notio judicii moralis proponenda et quomodo id se habeat ad aestheticum, indicandum erit, idque ipsis Herbarti verbis: „*Wenn aus den ersten willenlosen*" (*nämlich nicht vom Willen aus — sondern über ihn ergehenden*) „*Werthbestimmungen, welche unmittelbar in dem* „*Gedanken irgend eines möglichen Wollens entstehen, ein wirklicher Vorsatz* „*sich erzeugt hat, fernerhin keiner unlöblichen Willensregung Raum zu las-* „*sen: alsdann geben die nunmehr folgenden Begierden und Handlungen* „*Anlass, sie mit jenem Vorsatze zu vergleichen. Indem sie nun dem-* „*selben mehr oder weniger angemessen gefunden werden, entsteht ein morali-* „*sches Urtheil. Jener Vorsatz nämlich ist ein gebietender Wille; es* „*fragt sich, ob demselben gehorcht werde; und das Maass dieses Ge-* „*horsams ist das Maass des sittlichen Werths. Demnach geht das äs-* „*thetische Urtheil voran; bei dem moralischen aber wird jenes im Stillen* „*vorausgesetzt, meistens ohne abgesondert betrachtet zu werden.*" (*Encyclopaedie d. Philosophie. Halle 1831. S. 80. 81.*) [Qui locus quamquam consilio meo proximo satisfaciat, ab eo tamen continuando abstinere nequeo: „*Jedermann weiss, dass die Sphäre der ästhetischen Urtheile sehr viel grö-* „*sser ist als die der moralischen. In der That giebt es solcher Urtheile,* „*die ein unwillkührliches Vorziehen und Verwerfen ausdrücken, sehr viele, und* „*von ganz verschiedener Art in den mancherlei Künsten. Ihnen unterwirft sich* „*der Künstler; und daraus entsteht für ihn eine eigene Art des Gewis-* „*sens, welches ihm Zeugniss giebt von dem Grade der angewandten Sorgfalt* „*in Ausübung seiner Kunst. Aber wer nicht Künstler ist, bekümmert sich* „*nicht darum; denn aus seinen ästhetischen Urtheilen über vorkommende* „*Gegenstände wurden keine Vorsätze, daher auch kein Gewissen. Noch* „*mehr: der Künstler selbst klebt nicht an der Kunst; er lässt sie, wenn es* „*ihm beliebt und ihn sonst nichts treibt, ruhen oder giebt sie ganz auf. Dass* „*es sich mit den Bestimmungen über den Werth des Willens ganz anders* „*verhält, liegt am Tage; denn das Wollen kann man nicht aufgeben; es ist* „*der Sitz des geistigen Lebens.*"]

§. 19. Continuatio respondeat initio necesse est; initium capessivimus ab idea libertatis internae, non modo quia disputationem ad Kantii placita adnexuimus, verum ob rem ipsam quoque. Quid enim curae sit disciplinae ethicae, nisi supponatur volens, suam ipsius voluntatem con-

lationem dilacerando in sua membra — ecce aestheticus valor evanuit! nec enim judicium solum, segregatum a voluntate ipsius judicantis illi conformi, eum de quo sermo erat assensum sibi conciliat, v. c. judicium de alius cujusdam voluntate; nec voluntas, alius tantum judicio respondens, caeca obedientia, eandem laudem sibi parat. Tollamus β) illam distinctionem, v. c. judicio, de quo hucusque sermo erat, substituentes prudentiae modo regulam, ex arbitrio ipso enatam; tum nil nisi arbitria relicta sunt, quorum utrique judicium est subeundum, a neutro autem exercendum.

spiciens, et quidem non indifferenti quodam modo, sed hanc praeferens, illam postponens? Et ex hac ipsa suppositione fundamentali emergit idea libertatis, et nemo, ad quem haec applicari nequeat, appellatur persona, ens rationale.

Antequam ad pluralitatem personarum, ut illarum inter se voluntatum rationes perlustremus, pergere fas est, subsistamus in una persona, multas variasque ejus volitiones intuentes. Objecta volendi quaecunque negligenda sunt, quum minime pertineant ad nostrum negotium; voluntatis enim valorem invenire studemus, non autem illum, qui forsan tribuatur ejus objectis. Remotis autem objectis, quae volumus [1]), nil remanet nisi quantitativae relationes inter volitiones tamquam (ut ita dicam) activitates, vires internas, quae uni obtutui subjectae, se invicem metiuntur. *„An den einzelnen Regungen gefällt die Energie, in der Summe die „Mannigfaltigkeit, in dem Systeme die Zusammenwirkung. Der grosse Mensch „ist dreifach gross: seine Kraft hat Stärke, Reichthum, Gesundheit. „Bei den Minder-Grossen ist der Sitz der Schwäche theils in der Mattigkeit, „theils in der Beschränktheit, theils in der Zerstreuung oder im Wi„derstreite der Kräfte.“ Herb. prakt. Philos. S. 91.* —

Huc quoque pertinet laus illi, qui regulas sibi ipsi constantes sequitur, tributa [2]), v. c. Kantii legem sibi non contradicentem. Imminet ubique ejus cum laude libertatis internae commutatio, quae plurimos fallit, atque in vita non minus quam in schola, e. g. in Fichtii *(Sittenl. 311)* et Spinozae scriptis, tibi obvia fit, ideamque libertatis internae, tamquam inimicam piae illi modestiae, suspectam reddit multis theologis.

E multis, quae hoc loco silentio praetereunda sunt, id solum commemorabimus, quod in laude fortitudinis *(der „Stärke“)*, magnanimitatis . . ., in pusillo humilique vituperando, quantitativae rationes contemplationi objiciuntur; homines moribus non ita multum provecti hoc conspectu quasi subigi et obcoecari solent, ita ut, quae praeterea consideranda fuerint, negligant, ideoque impediantur, quominus voluntatem ab omni parte dijudicent.

Haec de voluntatibus, solummodo quantae sint, dijudicatio, in illa intelligentia, quam libertatis ideam delineantes cognovimus, cuique voluntas intelligentis respondet vel contradicit, continetur, eatenusque a Herbarto idea perfectionis appellatur. Extenditur haec dijudicatio ad omnes volentis vires, quatenus voluntas in iis acquirendis apparet et conservandis et augendis.

Illi, qui ethices initia extra fines aesthetices quaerunt, meminerint quaeso, non voluntatis solum sed alia permulta objecta ob magnitudinem, sublimitatem placere, ut pusilla minutaque displicere.

1) Huc pertinet eximium Kantii meritum, cum Eudaemonismo contendentis ac contra principia quae dixit materialia argumentantis. (Nos alio sensu voce materiae usi sumus §. 13, ubi significat residuum aesthetici objecti, destructa ejus forma.)

2) *Das Lob der Consequenz.* Cf. not. p. 10.

Haec nostra idea enascitur etiam in comparatione plurium personarum volentium; laudes et vituperia quae inde redundant, non magis non minus, quam hujusmodi comparationes ipsae, inevitabilia erunt vel arbitraria.

§. 20. Pergamus ad plures personas ac primum quidem ad duas!

Primum est, ut bene teneamus, earum voluntates hoc solummodo pacto rationem inter se inire posse, si volentes se invicem cognoverint, si persona quaevis voluntatem alterius sibi repraesentat, si hujus voluntatis quasi imaginem in animo habet. Sed quaecunque imago quaestionem movet, an non sit mera imago? i. e. num id, quod ea significatur, revera sit an non sit [1])?

I. Ponamus, imaginem nil nisi imaginem esse, voluntatem alienam nusquam esse nisi in mea imaginatione, meam de illa notionem forsan penitus erroneam esse vel illam exspectari demum tempore futuro. Quo posito jamjam praesto esset ratio inter voluntatem cujusdam ipsam et imaginem voluntatis alienae, quam idem sibi repraesentat. Quae ratio an aesthetica sit? quaeritur.

Si esset, certe, quamvis inclusa adhuc in una eademque persona, quam proxima tamen esset iis voluntatum rationibus, quae e comprehensione personarum plurium existunt.

Illaque harmonia interna personae, quae voluntatem suam dicat alienae, cujus saltem imaginem sibi effinxit, voluntati, — ut verbo dicam: benevolentia — quis est, qui ejus pulchritudinem non sentiat? Haec pulchritudo non foedatur erronea de alterius voluntate opinione, quae benevolum forsan fefellerit, nec pendet a conditionibus bene faciendi, quibus benevolus forsan careat vel rerum tractandarum imperitus inepte utatur, ita ut bene-facturus nil efficiat, immo malo affligat; quae res ipsum quidem in vituperationem alius generis, e. g. imbellicitatis, adducere potest, propriam autem benevolentiae laudem nullo jure obfuscat.

Haec vero non obfuscatur solum sed deletur omnino, nisi voluntatem, cui favet, ut alienam vere distinguat a sua; quo inter suam et alienam voluntatem discrimine cessante cessat omnis haec ratio (relatio) aesthetica, solaque restat sympathia: *„Dieselbe Empfindung, die ein „Anderer schon hatte, unwillkürlich nachahmen, heisst dieselbe Empfindung „noch einmal haben.“* *(Herbart's prakt. Philos. S. 101).* Ab hoc periculo, ne confluant termini rationis itaque ratio ipsa evanescat, remotior sane acerba illa est in malevolo discrepantia, v. c. invidia, laetitia e malis alienis hausta: *„Der Neider und sein Beneideter sind gewiss Zwei.“* *(Daselbst, S. 104.).*

1) Sic quaerens minime dubitat de realitate imaginis qua imaginis; qua imago, qua repraesentatio, qua activitas ejus, qui repraesentat, sine dubio existit!

Quamdiu haec nostra ratio, ut primum doctrinae officium est, in se spectatur, tamdiu quaestio de dignitate alienae illius, cui benevolus se advertit, voluntatis, erit removenda, eaque dignitas cum illa benevolentiae minime confundenda; benevolentia ipsa non est agnitio meritorum, benevolus ipse non judicat de eo, quod alii mereantur. Attamen illi, qui, secundum ideam libertatis internae, omnibus de honesta vel turpi voluntate judiciis simul satisfacere conatur, haec quaestio, a disquisitionis initiis removenda, permagni erit momenti.

II. Imago alienae voluntatis non mera sit imago (cf. pag. 12.), non mere supposita, sed alter revera ita velit ut alter, cum velle, supponit. Aestheticas ergo voluntatum species, hucusque nondum exploratas, exploraturus, voluntatibus non mere suppositis duarum personarum perlustrandis immorari debebit.

Voluntates plurium personarum ut rationem quandam inter se ineant, egent mediatione quadam; se exserant necesse est, ut ipsae se adire queant et conjungi, ut altera alteri adsit. Simplicissimum videtur,

α) ordiri ab una earum se exserente, alteramque, cum qua rationem formet, excitante. Ut excitet, voluntas illa, quocunque modo (e. g. oratione, vultu) se exserens nullius momenti non sit alteri, sed tangat eam et commoveat, accepta ei sit vel repudietur, bonum ei afferens vel malum. Bonum vel malum casu quodam allatum, non illa voluntate, nil valeret ad construendam inter voluntates rationem, omnino alienum esset a nostro proposito.

Id quod descripsimus bene- vel malefactum disciplet atque, ut id deleat, monet judicantem. Quis non noscat mercedem meritam praestandam? cui notioni subjungenda est e. c. notio gratiae ut par est persolvendae; — quis non noscat poenam debitam, si satisfactioni locus sit nullus, luendam?

Quo judicio quod descriptum est Herbartus nomine vocat aequitatis („*Billigkeit*" „*Vergeltung*"). In vastum campum (in cujus parte versatur jus criminale), qui hic aperiatur, discurrere minime licet; postea nonnulla de discrimine notionum vituperandi et ejus, quod poena dignum sit, porro laudandi ejusque, quod praemium mereatur, adjicienda erunt, nec non de relationibus, quae inter ideam benevolentiae eandemque aequitatis intercedunt ac magni in theoriam poenae et praemii excolendam momenti sunt. Properemus ad novam voluntatum rationem indagandam!

Viam ad ideam proxime priorem aperientes exorsi sumus a voluntate alterius personae se exserente, eoque ipso alteram personam, quam ad id usque quasi quietam finximus, commovente; hujus igitur voluntati eam quae excitat praemisimus. Diversam hanc conditionem, sub qua voluntates e duabus personis profluentes rationem inter se ineunt, nunc auferamus,

β) ad suppositionem istarum voluntatum, ex utraque parte aequali modo nobis objectarum, transgredientes.

Non profluat altera voluntas ex altera, sed utraque sibi obviam fiat in objecto suo, quodcunque demum sit; quodsi utrique voluntati obsequitur (utrique dispositioni respondere potest), nil novi apparet; si autem objectum utrique simul cedere, quasi in vias oppositas abire nequeat, tum lis de eo potest ardescere, ita ut volentes se qua tales, quorum voluntates se invicem impediant, agnoscant, nihilominus uterque in sua voluntate persistant, oppositae alienae renitentes. Verum etiam inter se convenire possunt, discordiae locum obtinere concordia, dissensionis consensio, belli pax. Utque obtineat, ut rixae foedae componantur, monet idea libertatis internae. Quod praeceptum quum, foeditati litis innixum, magni sit, ubi de jure agitur, momenti, Herbartus ei nomen ideae justi dedit.

De vi, aliis juris gratia inferenda, qui cardo theoriarum justitiae plurimarum est, nihilo magis locuti sumus, quam de caeteris vitae humanae ad normas ideales conformandae conditionibus; illi saltem, qui jus aequale esse potentiae negant, caveant ne notiones eae adeo sibi appropinquentur, ut concrescant in eandem! Immo vis alicui illata, per se spectata, litis species est, eaque aspera et manifesta, eatenusque a justo ipso satis remota; praeterea vis, invitum compellens, non modo sub litis notionem cadit sed etiam (ut, in concreto, quaevis lis) sub eam mali, non sine voluntate aliena inflicti, itaque ideam aequabilis compensationis provocat atque alias ideas, quibus omnibus simul ille, quem laude libertatis internae ornamus, ubique satisfacere enititur.

§. 21. Quae justi et aequi ideae sine dubio vigent in iis de jure naturali doctrinis. Alii earum locum reliquis ideis supplere conantur quum potius recte inter se conjungendae sint; alii autem discrimine inter has duas et illas tres prius indicatas [ac in ethica, sensu strictiori, tractari solitas] intercedente adeo occupati sunt, ut conjunctionem illam non minus negligant. Illud discrimen, dummodo idearum regionem non transgrediaris, in eo maxime positum est, ut tribus illis jamjam in una persona locus sit, hae duae autem nonnisi in plurium personarum relatione; neque vero obliviscendum est, ideam libertatis internae cunctas ideas amplecti, et sine relatione ad ipsam de servitio quidem minime vero de ulla obligatione, de officiis quibuscunque, sermonem institui posse (§. 6.). Illud discrimen augetur complicatione idearum aequi et justi cum vi physica cogente, quae ad vitae humanae necessitates revocanda est, — ita augetur, ut discrimen facta sit scissio, quae redolet pugnam illam inter „forum externum et internum“, inter civitatem et ecclesiam, commissam, cujus describendae historia nondum fecit finem.

§. 22. Quae nostra series voluntatum, in elementares rationes aestheticas conjunctarum, — num est ad finem perducta an continuanda? Periculum faciamus ejus continuandi, progredientes ad majorem personarum numerum; ex hac mera numeri auctione nil nisi plura personarum paria prodire possunt, objecta artis combinatoriae non contemplationis aestheticae. Verum non dinumeremus eas solum sed, quotcunque

sint, in unam quasi comprehendamus, ut societatem constituant. In unam, in personam superioris ordinis (cf. pag. 9.), eas comprehendere licet, eodem sensu, nec latiori nec angustiori, quo tribuere personarum singularum (ut dicunt: physicarum) systemati voluntatem quandam, ejusque conscientiam nec non de ea dijudicationem communem.

Utrum huic plurium personarum in unam quasi comprehensioni locus sit in vita humana, an nullus? quaestio est facti, quam experientia decidat. Quibus conditionibus unio hujusmodi, ut existat et perduret, contineatur? quaestio est psychologica.

Nostrum hoc loco non erit nisi ut referamus, e contemplatione societatis, qua personae, eandem fere idearum seriem emergere, quae sola diversitate societatis, qua personae, a singula differt ab illa serie primaria; eae derivatae nominantur a Herbarto ideae sociales: *Beseelte Gesellschaft*, *Cultur-*, *Verwaltungs-*, *Lohn-System*, *Rechtsgesellschaft*, eodem ordine servato quo exhibuimus illas primarias: *Innere Freiheit*, *Vollkommenheit*, *Wohlwollen*, *Vergeltung*, *Recht*.

Hisce certe invitamur, ut Platonicae reipublicae recordemur.

Qui forsan ad systemata societatum ascendere velit, facile perspiciat, objectum metiendum quidem in indefinitum augeri, non autem rationem metiendi, quam hoc loco solam curamus, vere novam reperiri posse. Series ergo elementorum ethico - aestheticorum ad finem perducta est.

§. 23. Ubicunque igitur ideae libertatis internae locus est, unicuique personae, ea praecepta, ab omni arbitrio remota, tamquam leges valent; sed quomodo iis satisfieri queat, ex sola de ideis disquisitione sciscitari non magis licet, quam, ut comparatione aliqua utar, de modo aedificium exstruendi, e geometria pura (cf. pag. 9. §. 16.).

Opiniones hodie celebratas respiciens mentionem faciam ejus rei, praeceptum, ut societas ad ideas conformetur, praecepto, ut singulum quodque membrum ad easdem se conformet, nequaquam derogare; non esse fas, societatem quasi tyrannum sibi imaginari, cui virtus singulorum esset immolanda, quod phantasma suam cum illa salute publica, singulorum salutem nihili aestimante, cognationem redolet. Neque vero magis fas est, ut hac temeritate perterriti ad oppositam compellamur, quae societatem, quamvis ad ethicam virtutem vocatam, nil esse judicat nisi instrumentum, quo singuli pro suis quisque finibus utantur, ut e. g. consortio vel mensa publica.

§. 24. Quibus praemissis ethicum, quod nostrae de animi immortalitate quaestioni inest, momentum facillime apparebit.

Ubicunque animus ab ethica cultura non prorsus abhorrens nobis obviam fit, ex idea libertatis internae desiderium in omnibus, a quibus aliena non est, enascitur, ut ea cultura initium capiat, incepta corservetur atque augeatur. Quae ut vero augeatur et crescat, simul idea perfectionis exhortatur, quae universim ad Energiam in volendo impellit idque in infinitum, ad

singulas rationes intendendas, ad ambitum variorum studiorum extendendum eademque recte conjungenda et concentranda.

Benevolus exoptat quam maximam ceterorum salutem; desideria ceterorum, si quae adsint, explere studet, — si non adsint, elicere et procreare quae expleat. — Quibus igitur ideis commotus minime potest carere votis pro immortalitate omnium animorum, qui ad ethicam dignitatem evehi, ad vires magis magisque excolendas perduci, prosperitate frui queant.

Idea justi vix novi quid ad ea vota, ideis sancita, conferat, quamvis, quum jam contineatur idea ethicae libertatis, ab iis aliena esse non possit.

Idea aequi ad ea confert quidem, iniquitate hujus vitae toties ac tantopere laesa, sed, quae sequuntur, non erunt negligenda:

1) Votum ex hac idea profectum non extenditur ultra temporis, quo exaequatio illa perfici queat, terminum; idque tempus erit finitum, quum numerus bene- ac malefactorum non sit infinitus.

2) Poenam quod attinet, ea sola, qua, qui punitur, ad meliorem morum conditionem evehitur, ideae libertatis internae satisfacere potest; quem ita evexerit, is poenam ipsi irrogatam simul tanquam beneficium agnoscet, gratiamque pro ea habebit; alia ratione benevolentia cum puniendi necessitate conjungi nequit.

§. 25. Quibusne autem fundamentis spes freta est, illis votis satisfactum iri?

Antequam illa indagemus Metaphysicam aggredientes, in id attendamus, honestum incertitudine hujus rei minime propelli ad sua de ethica dignitate vel indignitate judicia volendo agendoque spernenda; obsequii enim erga ideas decus neutiquam pendet a certitudine, qua eventus ideis omnino congrui, opera ab omni parte absoluta exspectari possunt. *„Selbst der vergebliche „Versuch ist insofern ein gelungener, wie er die innere Freiheit darstellt.“ Herb. allgem. pract. Philos. 504.* — *„Auch die Willkür pflegt ihre Werke „nicht nach vorgängiger Versicherung des Erfolgs zu unternehmen; „und was nach reifer Ueberlegung begonnen, übermächtiger Schwierigkeiten we„gen unvollendet bleibt, das bezeugt den Grad der angewandten Kraft. Die „Tugend, wiewohl an sich nicht Kampf, wird doch gemessen im Kampf.“ (Ebendas. 505.).* — *„Das eigentlich feste und in sich starke Wol„len ist gerade das was die Gesellschaft der Hoffnung ausschlägt. Es will den „Versuch. Diesen will es, gefasst auf jeden möglichen Ausgang. Je „reiner die Resignation, womit ein Werk beginnt: desto reiner, desto vollstän„diger sammelt sich das Gemüth, sowohl für die Betrachtung der Ideen, als „für die Erwägung des Möglichen und Zweckmässigen.“ (Ebend. 506.).*

Attamen qui fiducia caret, ea vota, quae ex ethicis radicibus egerminant, expleri, ad laetam illam solidamque in volendo atque agendo fiduciam, itaque ad perfectam virtutem evehi non potest. Quis est, qui in aqua formas delineare suscipiat, in qua lineae evanescant, antequam ad finem pervenire queat? Quis ingeniorum atque morum formator, sive suorum sive alienorum, ad plenum in iis formandis vigorem evehi possit, si materiem

a se formandam haberet ut ita dicam pro aquae superficie, in qua quidem formas undarum excitare liceat, sed umbrae imaginisve instar subito elapsas, nullum sui relinquentes vestigium?

§. 26. Ad Kantii de immortalitate animi doctrinam, quatenus ad ethicen pertinet, revertentes conspicimus duas partes diversas. Postulatur I) „*die völlige Angemessenheit der Gesinnungen zum moralischen Gesetze*“ [1]), II) felicitas, quae illi dignitati conveniat et jungatur, in quo matrimonio summum bonum versetur.

Ad primum illud postulatum explendum progressu in infinitum opus esse; nam illius explendi „*ist kein vernünftiges Wesen der Sinnenwelt, in* „*keinem Zeitpunkte seines Daseins, fähig.*“

Jam in his quae praecessere ediximus, nos agnoscere et quomodo agnoscamus primum illud postulatum.

Secundum quoque partim ad benevolentiam revocare licet; non quo delabamur in „eudaemonismum,“ benevolentiam quidem sed minime felicitatem ipsam, quam benevolus aliis exoptat et, si potest, parat, celebrantes. Illae disciplinae, quae haec Kantii placita simpliciter et festinanter rejiciunt, recta benevolentiae notione carent; benevolentia est, cui innititur egregiorum virorum „eudaemonismus“ et „utilitarismus“; eademque est, quae Kantium eo adegit ut honestum et jucundum in verbum „*Glücks-Würdigkeit*“ constringeret, nec non „horrorem vacui“ legis illius categoricae, qui nonnunquam ipsi subrepsit [2]), mitigaret. His denique immiscetur idea aequitatis, quamvis omnes quae huc pertinent notiones accuratiores disturbet, quum bene- vel malefacta sola, a voluntate profecta, praemia mereantur vel Nemesin provocent, minime autem quaelibet voluntas honesta vel turpis.

Illum progressum in infinitum quod attinet, facile senties, quam male congruat cum Kantiana libertatis notione. Id unum animadvertere sufficiet, nullam adesse posse rationem, cur haec facultas „intelligibilis“, quam ab omni causali necessitate omnibusque iis, quae in tempore fiunt, omnino absolverat, infinito magis quam finito tangatur tempore.

§. 27. Grave exemplum atque perspicuum tractavimus, quod moneat, nec ethicis quaestionibus nec mere theoreticis optime consulere, qui illas praemature jungant. Quae res quum tanti discriminis sit in omni philosophandi negotio quanti vix alia, non possumus abstinere ab indicandae jus mixtionis causa primaria, quam in eo ponimus, quod quaestio ethices fundamentalis, de voluntatis inquam ipsius dignitate vel indignitate, partim non distincte ob oculos ponatur, partim difficultatibus in ea solvenda obviis obumbretur.

Volens est fons actionum, principium, ex quo series actuum scaturiunt, quorum ulteriores in conspectum cadunt, si voluntas ad externam

1) Crit. d. pract. Vern. 178 . . .

2) Grundlag. zur Metaph. d. Sitten, S. 101 . . .

rem tendit, opusque conspicuum perficit. Praesto igitur sunt principium, finis, transitus ab illo ad hunc, quibus notae illae ethices formae, de virtute, de bonis, de officiis tractantes, („*Tugendlehre*“, *Güterlehre*“, „*Pflichtenlehre*“) fere respondent.

Quodsi in ea, quae appetuntur, in ea, quae voluntatis „objecta“ sunt, et in ejusdem opera animum advertás, eorum i. e. „bonorum“ (finium) valorem forsan cognoveris, non autem illum, de quo agendum esset, voluntatis; ejus immo valorem metiris secundum „bonorum“ valorem; voluntas suum decus quasi mutuum sumit a „bonis“, ita ut vel infitieris simpliciter illa de voluntate ipsa judicia, quae tibi exploranda essent, vel fallaris circulo, valorem eorum, ad quae voluntas nititur, revocans ad voluntatis, eundemque autem denuo ad valorem „bonorum.“ Qui error, ubi de externis sermo est rebus atque eventibus, nimis quidem apertus est, quam ut ei inhaereas (agresti ut ita dicam eudaemonismo); facilius jam illi irretiaris, quum pro illis bonis substituantur ea, qualia ad animum pertinent; res denique admodum contorta fit, si ea ethices forma, in „bonis“ contemplandis versans, se complicat cum reliquis duabus formis v. c. beatitudinem celebrans quae manet ex virtute vel ex officiis expletis, in quas formas sermo mox incurret. Quo minus eae formae commiscentur, eo magis patet, illam de „bonis“ doctrinam nonnisi in contemplandis rebus versari, quae nos delectant vel laedunt, appetendis vel aversandis, de aesthetico forsan earum (non autem de voluntatum!) valore agere, de facultatibus quas dicunt volendi et sentiendi, de iis quae naturae conveniant nec ne, quae incorrupta maneant vel caduca sint, quaestiones aliasve hujus generis movere posse.

Quodsi autem animum advertas ad volentem tamquam principium, facile fit, ut quaestio: Quis velit? turbam quaestionum de natura humana motarum excitet, quibus ethices illa fundamentalis obruatur. Dignitas cujuscunque ethica quum nulla sit nisi voluntatis, non licet voluntatis dignitatem ad illam volentis revocare. Saepe etiam, ut in illis „Sapientis“ descriptionibus apud Stoïcos, notiones imbuunt omni ethico decore, antequam id accurate exploraverint.

Quodsi denique considerent illum a principio ad finem transitum, activitatem, voluntatem ipsam, id agunt quod quaestio ethices fundamentalis expostulat proxime. Voluntates, ut explorent quo differant ab honestis turpes, intuentibus in ipsa vita obviam factae sunt leges divinae atque civiles, quibus obtemperant voluntates vel renituntur; itaque officii, aliena — legislatoris illius — voluntate impositi, notio emersit, immo obtrusa est. Nunc autem fuisset interrogandum, in quo praestantia imperantis hujus voluntatis posita sit? Verum ita sciscitari haesitarunt, non solum metuentes, ne inciderent in infinitam seriem voluntatum, quarum quaevis media antecedenti imperet, consequenti obediat, prorsus ergo inutilem [1]), —

1) Nos eam modo in pag. 3. exposito vitavimus.

sed auctoritate quoque numinis atque reipublicae devicti timuerunt, ne hanc ipsam in dubitationem vocarent. Inanem hunc metum esse, facile apparet; dignitatem imperantis voluntatis exploraturus, de ea omnino convictus esse possum; cognoscere velle minime est idem atque infitiari! Sic quaestio vix mota obtorpuit. — Quid igitur? Ruunt illae auctoritates, evertuntur sacra atque civitates, desinunt esse summa eorum, quae homo reverentia et amore amplectitur atque extimescit. Qua fundamentorum, quibus eousque innixus stabat, conturbatione ad se ipsum repulsus est et dejectus in pugnas et angustias ethicas; dissidium in se ipso voluntatis superioris ejusque, quae obediat, compertum habens, notionem illam officii in singulum hominem, intra τοῦ Ego fines transtulit. Vidimus, illam de auctoritate imperantis voluntatis quaestionem ea in causa nequaquam obmutescere, immo exacui identitate imperantis obedientisque patet, nec aliis intimidari auctoritatibus. Praeterea, ubi nos ipsos intuemur atque in nobismet ipsis normam volendi investigamus, quam propinqui simus ideae libertatis internae, bene tenemus (§§. 6. 17.). Verum eadem illa imperii de se ipso analogia cum imperio de aliis augebat adhuc proclivitatem, voluntatem imperantem tamquam personam tractandi. Quae persona sive δαίμονος erat sive superioris volendi facultatis contra inferiorem dimicantis, sive rationis divina imperia nuntiantis, — sed in cunctis his similibusque transformationibus manet voluntas, de qua, quid valeat, recte judicare primum est Ethices; quae autem sui fundamenti oblita disceptat potius de sede imperantis voluntatis, quam alii in Deo solo esse contendunt, dum alii, idea libertatis commoti, normam in se ipsis positam, indigenam, defendunt. Certe autem illius, qui imperaret, sive Dei sive rationis, notionem omni sanctitate induere conati sunt, antequam eam distincte cognoscerent, itaque simul forma ethices, de virtute agentis, usi sunt, nec defuerunt, qui in eudaemonismum simul inciderent, v. c. Dei omnipotentiam ac beatitudinem celebrantes, qua re desideria moveant eas participandi. (cf. quae in pag. de eudaemonismo dicta sunt).

Qui male contenti notionibus meri arbitrii (cujuscunque, ac quodcunque expetentis) indagarunt, quid ab omni arbitrio immune sit, non tamen animo tenuerunt, id — si Ethicen spectas — dijudicationem voluntatis honestae vel turpis ab omni arbitrio solutam esse: ii perscrutati sunt volentium naturam, mundi numinisque essentiam, unde deducerent leges volendi immutabiles. Quod omnis voluntatis substratum, ex arbitrio sane exemtum, nunc locum obtinuit, qui illi soli debetur dijudicationi, prorsus alienae a cognitione mere theoretica physicarum, ut ita dicam, legum volendi atque fiendi; rationi practicae, ut terminis usitatissimis utar, rationem substituerunt theoreticam; sermones instituti sunt de substantia ejusque attributis, de spontaneitate et passivitate, de originario et derivato, de aeternis et caducis etc.; sed hisce notionibus nil inest quod ad dignitatem voluntatis pertinet, quamvis lubentissime concedamus, ideas (v. c. perfectionis) eorum animo obversari qui ita disserant. Ex illis disquisitionibus, si recte instituantur, didiceris, quid sit τὸ velle, minime autem, quale laudandum sit vel

vituperandum; ethica libertate ornatus suam non intuetur modo voluntatem prudentisque consilii (ex illa, ut ita dicam, physica de voluntate theoria forsan depromti) compos est, sed dijudicat quoque praestantiam vel perversitatem voluntatis, conformatque ad ea ipsa judicia suam aliorumque.

Illam autem (quaecunque sit) dijudicationem, ex qua regulamenta voluntatis repetantur, volenti ipsi inesse, contendere non desierunt, qui idea libertatis internae commovebantur. Alii libertatem eam, ab omni quamvis arbitrio alienam, piae tamen erga Deum devotioni inimicam esse opinati sunt (pag. 11.). Quibus causis ethice in disputationes de lumine e natura humana vel divina deducendo, de ratione inter Deum mundumque intercedente, — ut brevis sim: in difficillimas metaphysicas compulsa est, a primordiis ethicis igitur deflexa.

Quae contra libertatem pugna non constitit in disputatione de lumine naturali vel divino, sed latius patuit et potissimum omnes vires exhausit in quaestione de natura humanae voluntatis, num ea rationibus (undecumque manent) moveri atque duci queat, — in quaestione de „motivitate" quam dicunt ejus voluntatis. Multi notionem gratiae divinae ita acuendam censuere, ut homo in meram passivitatem dejectus, nil nisi „vas divinae gratiae" esset, adeoque — si tibi constes — in rebus humanis id ipsum evanesceret, de cujus dignitate vel indignitate ethicae disquirendum est, — voluntas enim est activitas quaedam. Quid autem de doctrina judicas quae vel objectum a se explorandum perdiderit[1])?! Ethices locum obsidebant lites de Dei potentia, de nexu causali inter rationem, superiorem et inferiorem volendi facultatem, sensualitatem etc. . ., e quo mytho scholastico facile conjicies, eas quoque disquisitiones vix prospere successisse.

Illuxit dies recentioris Mechanicae, matutinusque aër frigidus illas penetravit regiones. Nec mechanicae deest aeternum — substantia nempe naturae materialis; non desunt quae sibi constant — leges motus. (cf. pag. 11.). Quid? quod si haec externa natura illi divinae vel rationali substitueretur? si theoremata mechanices in locum placitorum de divina et humana natura succederent? — quid illa ethica notionibus mere theore-

1) *Herb. Encyclopd. (1. Ausgb.) S. 41: „Nehmt den Willen hinweg, so verschwindet allerdings „das Böse; zugleich aber mit ihm das Gute." 45: „Dass im Menschen etwas lebe, . . . „was alle Motive ... nur gelten lasse, wenn im Innern die Bestätigung erfolge: Diese un„endlich oft gepriesene und nie genug zu preisende Eigenschaft des Menschen kann nur daher „rühren, dass er sich selbst Motive schafft, die keinem fremden Motive nachgeben und sich „kein Stillschweigen auferlegen lassen. Hierauf gestützt, erklärt sich der Mensch für frei, „d. h. für einen solchen, den man niemals ganz binden, ganz einschliessen könne, wie deutlich „man ihm auch seine ganze Abhängigkeit . . . vor Augen stelle . . . Der Mensch will erst „gewonnen seyn, dann will er folgen." Der Inhalt jener Motive ist in der Ideenlehre zu suchen. — Das blosse Leiden ist eben so sittlich werthlos wie das blosse Geniessen. Auch giebt es eine Schwelgerei in der Selbstpeinigung und in der Hingebung der Liebe und Frömmigkeit, wie im Selbstgefühle der Thatkraft.*

ticis implicata habet quo se defendat? Divinae naturae sanctitas, — ejus, quod animis eorum obversabatur, qui de ratione et libertate et vera hominis natura verba faciebant, praestantia sane erat tacite supposita; sed tacendo nulla inest argumentandi vis! Ethice in pugnis ejus generis inermis est (si argumenta sola in armis habes), nisi recordetur, suum esse, voluntatis dignitatem et indignitatem intelligere, quamcunque igitur naturam, aeternam vel caducam etc., ipsi esse nullius omnino momenti, nisi relatione ad voluntatem illamque intelligentiam; verum recordata non est.

Defensoribus humanae libertatis, quam antea multi Theologi ut impiam superbiam increpuerant, nunc simili modo Materialismus se opponebat: Intelligentiam hominis nonnisi spectatricem quasi et comitem esse voluntatis, ut fere acum illam magneticam, quam de sui ipsius motibus scientem fingas minime tamen ab ea scientia dependentibus; — et, quomodo multi theologi hominem nil nisi divinae gratiae vas censuerant, *so sollte nun, „wenn Einer etwas will, dieses Wollen eigentlich nicht sein Wollen, „sondern etwas Fremdes sein, was durch ihn wie durch einen Kanal hindurch „gegossen wird, — er selbst nicht der Wollende sein, er es nicht zu verantworten haben, er desshalb nicht zu loben und nicht zu tadeln sein, sondern die eigentliche Wirksamkeit ausser ihm liegen und vielleicht aus den „entferntesten Enden des Universums her in ihm zusammenfliessen." (Herb. „Zur Lehre v. d. Freiheit des menschl. Willens." S. 178. . .).* Eadem erat aetas, quae animum in spiritum per nervos diffusum transformabat! Quam propinquam notionum [1]), in quibus versabantur Theologi nonnulli ac Materialismi sectatores, cognationem intuentes non mirabuntur, eas in unam doctrinam jungi posse; ecce Spinozae ethicam! Junctae sunt vocula „et", qua glutinantur praedicata: „cogitans" et „extensa", ut attributa unius substantiae. Quantopere primordia ethices per saecula neglecta essent, Spinoza in lucem protulit nudis et crudis verbis ut: „praejudicia de bono et malo, merito et peccato, laude et vituperio, ordine et „confusione, pulchritudine et deformitate et de aliis hujus generis." Eth. pars I. appendix. Mox sequuntur: „. . . homines . . . id in unaquaque „re praecipuum judicare debuerunt, quod ipsis utilissimum, et illa omnia „praestantissima aestimare, a quibus optime afficiebantur. Unde has formare „debuerunt notiones . . . Bonum, Malum, Ordinem, Confusionem, Calidum, „Frigidum, Pulchritudinem et Deformitatem etc., et quia se liberos existimant, inde hae notiones ortae sunt, scilicet, Laus et Vituperium, Peccatum et Meritum." Quae si quis concesserit, ejus omnino nil interesse potest, utrum homo „ex ductu rationis" ita comparatae „vivere" queat an nequeat!

Vitae autem ipsius in agendo vigor non infractus est doctrinis libertatem humanam impugnantibus; non minus convictio de eo, quod discrimen sit inter honestum et turpe, inter pulchrum et deforme, conservata

1) De his, minime de indole eorum, qui iis utebantur, loquor!

est, quanquam scholae disputationes illi discrimini dilucidando parum aptae fuerint.

Vehementer commovebantur civitates in se atque inter se. Ethica se convertit ad civitatem, quamvis ecclesia eam sibi, ut corpus animo, opponere consueverit. Societatem civilem comprehendes vel ut subjectum, intelligentia et voluntate praeditum (ejusve saltem capax), quam distinguere liceat (quamvis non separare!) a judicio ac voluntate singulorum civium, qua re patet, quaestionem de dignitate vel indignitate voluntatis socialis, atque de ejus cum illa intelligentia congruentia vel discrepantia, in prima ac generali ethices quaestione contentam esse;

vel illam inter personam socialem interque singulas eam constituentes personas distinctionem (faciliori nempe opera negandam quam accurate definiendam!) rejicies, itaque solummodo de earum voluntatibus disseres; earumque dignitas vel indignitas ante omnia constituta sit necesse est, nisi velis, omnem reliquam disquisitionem Ethico fundamento carere.

Verumtamen fundamenta in disquisitionibus mere theoreticis posita esse opinabantur, ut: Quomodo societates exortae sunt? utrum immediata Dei providentia? an e singulorum voluntatibus? an sint quod appellant (ut termino utar technico) „*ein Naturwüchsiges*"? . . Huc pertinent litigationes de statu naturali, — porro de civitate, num tamquam Mechanismo an Organismo definienda, quum tamen organismus physiologicus ipse non minus quam mechanismus alienus sit ab ethica, quae solummodo de personis agit, quatenus sub ideam libertatis internae subsumuntur. (§. §. 6. 19 (initium). 23.)

Ad sublimiorem illam civitatis ideam, classicae antiquitati jam familiarem, evehi doctrina vix potuit; nimis ab illa remotus erat rerum politicarum status, eo tempore e juris privati tantum regulis constitutarum. Jura igitur tamquam „bona" possidentium habebantur, quae autem nulla sunt nisi vi sufficiente defensa; quo factum est, ut ideae huc pertinentes theoreticis difficultatibus, in cogendi necessitate et opportunitate definienda, subigerentur (§. 21.). Disputationes de libertate externa secutae sunt illas de interna, earumque nexus obumbratus.

Integrae atque alacri Kantii conscientiae ethicae illa externa minime sufficiebat; internam quoque vindicavit, pugnans contra ista de nexu causali placita, quae omnem spem, voluntatem jusso rationis (volentis ipsius) regendi, destruxere, immo veram voluntatem humanam ut fabulam tractarunt. Constitit ipsi, se velle, ac voluntatem ad rationis normam dirigere posse, ad normam a se ipso profectam, non obtrusam rerum externarum, volenti objectarum, quasi violentia [1]), quum modo „sensualitas" earum impetu determinetur. Kantio autem non suffecit, istam servitutem eudaemonisticam impugnare (cf. §. 6. — pag. 11. 1)) atque voluntatis dignitatem a rerum, quas expetit, pretio probe discernere, sed sui

1) v. c. *Cr. der pr. V. S. 45, 47—50.*

ipsius imperium ab omni nexu causali absolvendum esse putabat. Nec tamen objecta voluntatis dimisit; in quibus tractandis potius norma rationalis versetur, ita ut voluntati inde motae nil obstet, nisi egeat physicis viribus (*Cr. der pr. V. 62.*), ad quas supplendas Deus postulatur. Kantius igitur principia ethices non realitate exsolvit sed „voluntatem liberam" phaenomenis tantum, ad quae sola, minime autem (ad noumena) ad „naturam intelligibilem", nexus causalis pertineat, exsolvere innixus est; in eam naturam se recepit, quum tamen ab omni (intelligibili non minus ac spectabili) natura (realitate) animus quasi abstrahendus fuisset, ubi de pulchritudine et defomitate . . ., non de realitate, disserendum erat. Inveterata igitur illa notionum mixtio non sublata, sed in alium locum prolata erat. Qui rei status idem mansit, etsi mundus Kantii intelligibilis a Fichtio in „Ego purum" transformaretur, idque ab Hegelio „Idea absoluta" appellaretur.

Τὸ Ego purum se ipsum vult ac perficit; volens ergo idem est atque id, ad quod voluntas intenditur, idem cum suo objecto atque opere. Sed dignitas voluntatis — num versatur in eo ad quod intenditur? Sic rediri ad theoriam „bona" celebrantem, neminem fugiet, qui illa objecti cum volente subjecto identitate non decipiatur; opera esse quidem possunt specula voluntatis, ex qua enascuntur, signaque dignitatis ejus, qui ea perficit; reflectamus igitur contemplationem in Subjectum, interrogantes: Cujusne sit voluntas? Sed apertum est, sic rediri ad errorem ethices, a virtutis notione initium capturae; ethica enim Subjecti cujuscunque dignitas posita est in dignitate suae voluntatis, quae tacite quidem supponi potest et sine dubio supponitur (v. c. a Stoicis, exemplar „Sapientis" describentibus vel ab istis Theologis de Sanctissimo disserentibus, —), tacere autem de iis, quae exploranda proponuntur, non licet! Ut breviter dicam: Notio objecti, cum subjecto ejusdem, cadit sub notionem generalem objecti, ut notio subjecti, cum objecto ejusdem, sub generalem subjecti. „At ignoras, *αὐτονομίαν* in illa identitate versari!" Nos *αὐτονομίαν* minime ignorare, ex iis, quae de notione officii exposuimus, apertum est, atque ex iisdem patet, istum *νόμον* inniti debere intelligentiae, nisi in mero arbitrio, in illo „sic volo sic jubeo" inhaerere velis 1); sed illud „Ego purum" nil intelligit nisi se ipsum, quum tamen nulla nisi de voluntate honesta vel turpi scientia hic desideretur, — quum tamen quaecunque identitas, nisi interna harmonia judicantis de voluntate honesta vel turpi ejusdemque volentis, ethico sensu prorsus careat.

Quem igitur non adtingunt rem ita tractantes, sed relabuntur ad aetatem scholastices, ethicas quaestiones primas obruentis metaphysicis; purum enim Ego ab individuali (ut ita dicam), quod volendo atque agendo implicatur tempore, discernentes impelluntur in rationes, quae inter existen-

1) Ita v. c. et Fichtius inhaesit, quum *τὸ* Ego purum ut volens definiret; v. *Sittenlehre S. 14.*

tiam, cogitationem ac voluntatem singulorum illamque absoluti intercedunt, patetque arena dimicationibus eorum, qui Singulum ita exinanire contendunt, ut ethicam omnino effugiat dijudicationem (pag. 20.). Rem se ita habere dubitantes adeant v. c. praefationis finem, quae ab Hegelio suae de justo doctrinae praefixa est, illamque „acum magneticam" (pag. 21.), *„die „bloss das Zusehn habe,"* (*Jacobi, über die Lehre des Spinoza. Beilage V.*) non modo in memoriam lectori revocat, verum etiam omnem societatem humanam sorte illius acus, i. e. morte ut ita dicam ethica, mulctat.

Non autem contendo, disquisitionem primordii ethices in pristinum statum redactam esse, immo difficultates valde adauctae sunt, quum pristinis difficultatibus novae, notionibus τοῦ Ego puri, individualis, et socialis, inhaerentes, adjunctae sint (v. pag. 22.) [1]; absolutum Ego societas quasi est omnia in se continens (cf. pag. 5.); quis autem vita ipsa non edoctus esset difficultates in describenda, societatem inter ac singula ejusdem membra linea regulatrice, atque periculum ne singuli omnino evanescant in rebus publicis (§. 23.)? In simile periculum incidere hodiernas theorias philosophicas, jam ex eo animadvertere licet, quod multi philosophantium nostram de animi immortalitate quaestionem parvi pendant, opinantes eam non ethicis causis (quas non intelligunt) moveri, sed unam esse e reactionibus vitae mere physiologicae, contra mortem renitentis!

Inde patet tum, cur nostram quaestionem non aliis, atque in capite hujus dissertationis factum est, verbis expresserimus, tum quibus rationibus adacti simus ad plura, eaque a nostro proposito remotiora, perlustranda. Praeterea metaphysica quoque, quam nunc ingrediemur, iis, quae tetigimus, nequaquam intacta mansit. Qui nodum, multorum variorumque filorum per longum tempus productorum contextum, explicare conatur, ei singula illa persequenda sunt.

1) Iisdemque notionibus inhaeret socialis ut ita dicam nostri aevi enthusiasmus, qui autem merae earum dialecticae nihilo magis debetur, quam aridae illi Kantii legi, absentia contradictionum contentae; sed debetur ideis de dignitate vel indignitate, animos multorum, qui illo logico negotio occupati sunt, commoventibus.

Pars metaphysica.

§. 28. Si ad metaphysicam animum convertimus, simili quadam ratione hic realitatis ac veritatis notiones confundi reperiemus, qua realitatis atque dignitatis notiones in ethica permisceri ostendimus.

Quam prona sit vulgaris cogitandi loquendique ratio in utramque istam confusionem, testes sunt plurimi loci lexicorum, in quibus ea, quae sensu communi concepta sunt, deponuntur; accuratior tamen doctrina in obviis iis abruptisque cogitandi initiis acquiescere omnino nequit. Satis quidem inter omnes constat, veritates quam plurimas in lucem proferri mathesi pura, quin tamen, utrum sint eae res, in quibus contemplandis versatur, quaestio institui possit. Propositionum sententiarumque quas profert veritas hac conditione nullatenus adstricta est; et si res, quae realitatem sibi vindicant, ut in Mechanica corpora, calculo subjiciuntur, ea quae ad realitatem pertinent, probe distinguuntur [1]) a peculiarium theorematum veritate, quae inconcussa manet, quomodocunque lis v. c. inter realismum et idealismum decidatur.

§. 29. At vero quae tandem causa est ejus confusionis (notionum realis et veri)?

Quam quum in totius metaphysicae historia offendas, prima jam hujus disciplinae initia ansam illius praebere verisimillimum est. Quae autem eo continentur, quod opinionem, res tales esse, quales experientia notae sunt, cogitando tueri non possis.

Quod non-posse si accuratius perpendere vel hic saltem indicare velimus, vix latere poterit, quaenam sint confusionis illius causae.

1) De cautis scilicet mathematicis loquor.

§. 30. Consideranti rerum experientia perceptarum universitatem ea tamquam contextus relationum ob oculos ponitur et quidem duplici obtutu:

Primum relationis earum rerum, quas experientia suppeditat, inter se; tum relationis earum ad illum, cui suppeditantur (a quo percipiuntur).

I. a) Quae sensu immediate percipiuntur (v. c. rubrum, dulce), non referri non possunt in subjectum, cui tamquam praedicata inhaerent (in rem, cujus notas constituunt), neque non in alias res, a quibus ut conditionibus [1]) pendent.

Quarum rerum unam classem constituunt sentientes et percipientes; sensationes etiam ipsae et volitiones una quidem ratione ad subjectum [2]) referuntur, cujus affectiones sunt, — altera autem ad objectum, quod animo proponitur.

b) Percipiuntur autem non tantum singula, sed conjunctiones quoque singulorum multiplices [„formae" scilicet, quibus opponitur „materia", mera illa singulorum summa sub a) tractata]:

Praedicata a spatio et tempore desumta non ad subjectum tantum relationem involvunt (quemadmodum ista de quibus sub a) diximus), sed id ipsum, quod edicunt, nihil est nisi forma quaedam et relatio; spatio contentum enim qua extensum nihil aliud est nisi complexus quidam distantiarum, de quo nihil cogitas, nisi distinguens hoc ab illo, nisi ponens hoc extra illud. Simile valet de iis, quae tempore sibi succedunt.

(Illa, quorum alterum distat ab altero, colorata nimirum et contrectata . . ., sub a) subsumenda sunt; sicuti audita . . ., quae per certa temporis momenta distribuas).

Res ipsae tamquam complexiones notarum, tam simultanearum quam sibi succedentium, nobis repraesentantur; nulla nota valet sine ceteris; res nullae sunt sine suis notis, notae nullae sine rebus.

Si fieri aliquid dicimus, si loquimur de regulis, secundum quas — de finibus, quorum gratia aliquid fit, sermo versatur in relationibus rerum earumque affectionum, locorum atque temporum inter se.

Conscientiae (*Bewusstsein*) autem nostrae notio mere empirica quae tandem est, nisi theatri quam maximae varietatis et vicissitudinis cogitationum, appetituum . . ., qui ibi concordantes discordantesve conveniunt? Ac notio

1) Huc partim referri possunt quae Herbartus (*Einleitung in die Philosophie 4. Ausg. S. 149.*) dicit: „*Ein Körper hat Farbe, aber nicht ohne Licht: was ist nun diese Eigenschaft im Dun-„keln? Er klingt, aber nicht ohne Luft: was ist diese Eigenschaft im luftleeren Raume? Er ist „schwer, aber auf der Erde; auf der Sonne wäre seine Schwere grösser; im unendlichen leeren „Raume wäre sie nicht mehr vorhanden. Er ist zerbrechlich, wenn man ihn bricht; hart oder „weich, wenn man in ihn eindringen will; schmelzbar, wenn Feuer dazu kommt; und so giebt „keine einzige Eigenschaft dasjenige an, was er ganz ruhig gelassen, für sich selbst ist.*"

2) Usurpamus vocabulum hoc loco eo sensu quo opponitur objecto (non solum praedicato).

conscientiae sui ipsius nonne est correlativa illa: Identitas subjecti cum objecto (servato nihilominus eorum discrimine!)?

Notiones igitur eorum, quae interna experientia suppeditantur, non minus quam eorum, quae externa dantur, in merum relationum complexum dilabuntur accuratius cogitanti.

Quibus e meditationibus eae praecipue, quae ad rerum mutationes, earumque inter se rationes pertinent, antiquissimis jam philosophis (quorum hic prae ceteris Eleaticos et Heraclitum nominaverim) sese obtulerunt; sed pedetentim obfuscatae sunt illa, quam

sub II. comprehendimus, meditatione, quae a Sophistis primum instituta, a Fichtio ad fastigium usque perducta est, hac nimirum meditatione:

Quaequae sentio et cogito, sive illa sint

a) singula quaedam sive

b) certae formae, certi nexus eorum, nulla sunt nisi meae affectiones, mea cogitamina; ut verbo dicam: cuncta sunt mera spectra!

Quod scepseos genus haud inepte dicere posse videmur idealisticum.

§. 31. Ad primum: Nudae tamen meraeque relationes sine ullis terminis *(Verhältnissglieder)*, qui non denuo in relationes dilabuntur, — relationes sine terminis a quibus et ad quos, nihil omnino essent. Relativum quod non est nihil, quod est aliquid, indicat non-relativa, absoluta (ab illis relationibus).

Ad secundum: Quod *φαίνεται*, non est nihil, sed est aliquid; si nihil esset, nihil quoque videretur. Qua in antithesi ens aliquod noumenon appellari, in altera illa absolutum dici consuevit.

§. 32. Qui modo proposito rerum, quae externa internave experientia obviae fiunt, notiones perscrutans, istas relationes animadvertit, non habet quod dicat: omnino nil est! *„Aussprechen lässt dieser Satz sich leicht, „aber nicht festhalten. Man versenke sich in das Nichts wie man will; der „Lauf der Welt geht dennoch fort. Nun kann man zwar recht gut von der „Welt den Weg finden zum Nichts, aber alsdann findet man den Rückweg „verschlossen. Man gelangt nicht wieder vom Nichts zu der Welt! Man „kann zu jeder Sache, zu jedem Ereigniss sprechen: Du bist Nichts und du „schaffst Nichts! Aber die Sachen fahren fort zu erscheinen und verwickeln „uns in die Frage, woher denn wohl der Schein kommen möge?“*

„Es ist nämlich klar, dass wenn Nichts ist, auch Nichts scheinen muss.“ (Herb. Metaph. II. S. 78.)

Esse aliquid — id inconcussum manet et indubitatum. Ea certitudo non tollitur. Scepsis omnia, quae et qualia experientia percipimus (omnia quae experientia ipsa nobis, quid sit? quaerentibus respondet), in relationes dissolvens, tollere cuncta videtur et negare; in eo autem, quod contra eam negationem defendas positionem, in ejus negationis negatione [1]), in ea affirmatione consistit τοῦ Esse notio: *„die blosse Anerkennung*

1) *„Das Seyn der Dinge kommt erst zum Vorschein in ihrem Gegensatze gegen das, was*

„des Nichtaufzuhebenden ist der Begriff des Seyn.“ (Herb. Metaph. II. pag. 82.) Huc quoque pertinet illud Platonis: πῶς γὰρ ἂν μὴ ὄν γέ τι γνωσθείη; —

Minime autem conservata est illa credulitas, quae citra omnem scepsin tum, quum quaeritur: quid est? responsionibus experientia ipsa datis, tamquam sufficientibus, acquiescit.

§. 33. Manent relativae illae positiones, quarum complexus experientiam constituit; non delentur datae rerum imagines qua tales (φαινόμενα non evanescunt); imaginis notio haec est, eam non esse nihil, simulque non esse id, cujus est imago. Eaque est negatio e scepsi (§. 30, I aeque ac II) prorumpens, quae notiones rerum experientia ipsa datas divellit et quidem, si scepsis sibi consentanea progreditur, nulla omnino excepta. Hoc propositum est metaphysicae, ut constituat ea (in se) non-relativa, quibus relationes continentur, — ut id definiat, quod imaginibus nos circumdantibus indicatur, ac ratione quidem indiciis illis congrua definiat. Conferantur propria Herbarti verba: *„Wir haben nun das Gegebne . . . entgegengesetzt dem Seienden, das dem „Scheine zum Grunde liege. Dieses nennen wir unbekannt[1]); denn wir „sagen zwar, dass es ist, aber wir bekennen nicht zu wissen, was es ist. „Das Unbekannte ist die Qualität, unser Begriff aber vom Seienden „besteht aus Bekanntem und Unbekanntem, dem Seyn und der Qualität.“ — „Diese Sonderung der Begriffe und hinwiederum diese Zu„sammensetzung des Begriffs vom Seyenden aus den beiden Begriffen „des Seyn und der Qualität ist nicht beliebig, auch nicht zur Bequemlichkeit „ersonnen; vielmehr muss es genau bemerkt werden, dass eben an der Stelle, „wo wir den Begriff des Seyn zuerst gewinnen, er in dem Gegensatze „gegen das Wirkliche, dessen Qualität für bekannt und gegeben „gilt, schon angetroffen wird, indem von dem Seienden gesagt wird, man „wisse nicht, was es sei. — Wie wenn man diesen Gegensatz wegnehmen „wollte: würde dann das Wirkliche[2]) und das Seyende noch unterschieden „werden? Ohne Zweifel würde beides zusammenfallen. Die Position, in „der wir Etwas setzen, während wir den Schein zwar nur für Schein, aber „doch für Nicht-Nichts anerkennen, — diese Position ist nur Wieder-*

„nicht ist, sondern bloss gedacht wird. Die Frage muss erst erhoben werden, ob es „bei dem Schlechthinsetzen sein Bewenden haben solle oder nicht? Schatten, Träume, Täu„schungen aller Art enthalten die Zurücknahme eines Setzens, das schon geschehen „war; hier beginnt denn die Frage, ob denn die Dinge auch Träume seien? Wird die „Frage verneint, so entsteht nun aus doppelter Verneinung eine Bejahung; und diese erst „giebt den Begriff des Seyn, obgleich dadurch nichts Neues soll gesagt werden, mithin „vorausgesetzt wird, die Bejahung habe sich von jeher von selbst verstanden.“ (Herb. Metaph. II. S. 85.)

1) *nämlich durch die Erfahrung nicht unmittelbar bekannt.*

2) *so wie es erfahrungsmässig vorliegt.*

„holung und Bekräftigung der frühern, durch welche wir das Wirkliche „für wirklich hielten. Nämlich vor allem Beginn des Zweifels nahmen „wir die Dinge um uns her und uns selbst ganz unbedenklich für wirklich „vorhanden an. Später . . . konnten wir uns doch der Setzung nicht ent- „halten; irgend Etwas musste bleiben! Es blieb also dabei, dass man die „alte, längst vollzogene Position beibehalten, nur den Gegenstand dersel- „ben, seiner Qualität nach, in Zweifel stellen solle. Dieses Bleiben und „Behalten muss schon desswegen bemerkt werden, damit Niemand glaube, „man springe ab vom Gegebnen, wenn man anfängt, vom Seyenden zu „reden [1]). (Metaph. II. S. 79. 80.)

(Quibus dictis nemo facile sibi persuadeat, nos velle quodammodo id, quod vere est, quasi extra et juxta id ponere, quod experientia datum est!)

§. 34. Quid igitur tandem est, quod metaphysicae faciendum tribuitur? Num forte realitatem excogitare et demonstrare debet? num certitudinem de eo, esse aliquid, invenire debet et creare? Absit! ea enim certitudo nequaquam erepta est scepsi [2]); in eademque (certitudine) persistit empirismus dum metaphysicae tergum vertit (eamque tamquam morbum aversatur, quo nempe morbo, ipsa experientia teste, ingenia maxime egregia, aliis negotiis ab ejusmodi meditationibus non avocata, corripi solent!). Empirismus quidem quam firmissime id quod habet possidere sibi videtur, at vero non cogitat, quid tandem habeat? et ad cogitandum neque potest cogi quispiam, neque debet. Multum quoque abest Metaphysica, ut id quod experientia datur, abjiciat, immo vero non retinere illud solum sed etiam perpendere vult, cogitando efformare ac rationem sibi ejus reddere quod certum habet et indubitatum. Scepsis (§. 30.) hanc suppeditavit quaestionem:

Qua ratione tractandae sunt eorum, quae experientia (externa et interna) teste exstant, notiones, quarum autem tenorem cognovimus tamquam relativum, ut affirmatione nihilominus servata congruant inter se cogitata? Qua conditione illae notiones cum notione τοῦ Esse, i. e. absolutae positionis, consentiunt? Illarum mera relativitas scepsi illa palam fit, notio autem τοῦ Esse evocata est praecipite aeque ac irrito, omnia quae dantur annihilandi conatu (§. 33.).

Scepsis non res ipsas divellerat, sed earum notiones sola experientia datas; et ideo metaphysicae non est, consuere quasi res ipsas, sed notionum, de quibus diximus, relationes dijudicare et constituere, in quo negotio non aliter atque alia quaevis doctrina veras sententias veraque

1) *Darin liegt zugleich, dass die Metaphysik nur vom Gegebnen ausgehen könne.*

2) *Met. II. S. 77: „Es steht nicht in unserer Macht, die Auctorität des Gegebnen zu verstärken. „Die Wissenschaft würde sich nur lächerlich machen, wenn sie versuchte, der Erfahrung „Gewissheit zu ertheilen; das wäre noch etwas thörichter, als Eulen nach Athen zu tra- „gen. Der Wissenschaft ziemt Kritik; sie soll dem Gegebnen nicht mehr Auctorität beile- „gen, als es behaupten kann.*

theoremata assequi, in falsa aberrare potest. „. . . *ob wir denn wirklich glau-
„ben, durch unsere methodischen Künste das Reale erhaschen zu können? Ob
„denn das Künsteln an Begriffen jemals etwas Höheres zu Tage fördern
„werde als — Begriffe?“ „Es ist ein Irrthum, dass wir das Reale erha-
„schen wollen; das ist nicht nöthig; denn wir haben die Realität
„niemals und nirgends von uns gelassen, niemals aus den Augen ver-
„loren. Alles Gegebne gilt ursprünglich für real. Suspendirt, aber nicht
„aufgehoben wird der Anspruch des Gegebenen auf Realität alsdann, wenn
„sich findet, es könne, so wie es gegeben war, nicht gedacht werden. Dar-
„um sondert sich der Begriff der Realität ab von der Qualität, die ihm zuerst
„im Anschauen war beigelegt worden. Und nun muss, stets mit Festhaltung
„der Ueberzeugung, dass ein Reales gegeben war, die Frage, was für ein
„Reales? dergestalt beantwortet werden, dass immer noch die Antwort vom
„Gegebnen abhänge und durch dasselbe bestimmt, obgleich nicht mit ihm
„unmittelbar identisch sei.“ Met. II. §. 192.*

Itaque simul enervata sunt dubia illa idealistico-sceptica, quibus tamquam scuto obtegi solet hodie empirismus et abscondi; dilemma etenim non est de Esse vel non-Esse, sed de eo, utrum notioni τοῦ Esse convenienter cogitemus nec ne?

§. 35. Confusiones istae (§. 29.) inprimis scepsi illi idealisticae (§. 30. II.) imputandae sunt. Quae exordiebatur a notissimis variisque sensuum mendaciis; quod ita deceptus percipit, non est reale; ideoque conditiones in relatione subjecti et objecti deprehenduntur, quibus satisfieri debet, si percepti realitatem (opticis aliisque ejusmodi fallaciis oppositam) tueri velis factique qua talis certitudinem habere. Quae ut ita dicam perceptionum observationumque physiologia et pathologia sane non negligenda, sed nullo modo tamquam metaphysicae basis habenda est, quippe quae facti certitudinem simili ratione supponit, qua v. e. physici id faciunt, priusquam meditationes de eo explicando instituunt aut calculum ad ea, quae observata sunt, applicant.

Videtur autem qui quaerit: quid sit? non minus quam sentiens ille non modo ad sensuum suorum sanitatem explorandam compelli, sed ad universam suam cognoscendi facultatem perscrutandam. Quum „veritas non sit in sensibus“, spes veritatis se in interiorem quasi locum recepit, quam ob rem primis jam temporibus distinctio „sensualitatis“ a „ratione“ magni momenti habita est et Aristoteles excogitatis animi facultatibus [1]) latum aperuit campum illis quaestionibus ad physiologiam cognitionis humanae pertinentibus.

Itaque contemplatio in cogitantem reflectebatur, quum tamen in ea, quae cogitantur, convertenda erat, e quorum qualitate pendebat, utrum inter se convenirent nec ne. Quo quaeso mathesis (ut exemplum proferam)

1) cf. G. Hartenstein, de psychologiae vulgaris origine ab Aristotele repetenda commentatio. (Lipsiae 1840.)

pervenisset, si mathematici non de iis, quae ipsis proponuntur, sed de facultate humana, acquirendae veritatis mathematicae, disputassent?

Quo tempore philosophia theologiae famulari 1) coeperat, quaestionem de divina illustratione et lumine naturali ad haec accessisse, atque cum ethica illa disputatione de gratia divina et libero arbitrio (v. pg. 20.) coaluisse, hic indicasse sufficiat. Postea quoque, quum metaphysicae cum „sensualismo" acrior pugna esset, placita de „ratione theoretica" — simili modo quo placita de „ratione practica" (v. pg. 19. 23.) — disputationibus illis de passivitate et activitate, de receptivitate et spontaneitate implicabantur. Tesserae: „a priori" et „a posteriori" datae erant, ignorabant enim (ut de erroribus taceam, quibus illae de causalitate disquisitiones corruptae erant), quaestionem, utrum et quomodo ortae sint notiones, ad earum veritatem falsitatemve omnino non pertinere; forsanne datur scientia, quae thesin falsam sibi obtrudi patiatur, dummodo accuratissime exposueris, quomodo illa in auctoris ingenio enata fuerit? Metaphysica quoque vim suam et facultatem nulla alia ratione atque alia quaevis scientia certam reddere potest et debet, cogitando nimirum de iis, quae ipsi praeposita sunt.

Hoc modo metaphysicae sors omnino pendebat a sorte notionis de causalitate. Humius quidem decrevit, eam notionem consuetudini soli inniti 2); Kantius eam ut reliquas cogitandi categorias intuendique formas, quibus omnis experientia continetur (cf. §. 30.), tamquam menti humanae insitam habuit. Qui antea verebantur, ne ob nimiam ab objectis dependentiam eorum qualia sunt cognitionem adipisceremur, iidem nunc solliciti esse debebant nimiam ob independentiam nostrarum de noumenis notionum. Fichtius autem huic rem dijudicandi rationi finem imposuit, singulas etiam sensationes („materiam" quam Kantius vocaverat „experientiae") τῷ Ego soli vindicans, quum nexus causalis inter τὸ Ego et noumena, a quo Kantius illas repetebat, nil esset nisi cogitamen, generali causalitatis notioni subjungendum. Noumena ergo abolita erant nihilque amplius remansit, nisi τὸ Ego, cujus omne Sentire omneque Cogitare esset, — remansit itaque subjectum, quod sui ipsius objectum, — objectum, quod sui ipsius subjectum esset. Qui igitur nodum in scirpo quaerebant, i. e. qui anxii erant de hiatu illo inter subjectnm et objectum, nunc plane contenti esse debebant, Fichtius, Columbus metaphysicus, continentem terram diu exoptatam detexit!

Sed Fichtius ipse ei solo insistere, in notione τοῦ Ego i. e. subjecti cum objecto identitatis, acquiescere non potuit, ejus relativitatem, notioni

1) Opera quam scientia serva navat, illi quoque, cui servit, parum prodesse solet.

2) Dolendum certe est, quod illi notioni non desueverit, itaque non supersederit illa contra causalitatem argumentatione triplicem causalitatem supponente: 1. Notiones ex experientia haustas primarias esse rerum ipsarum imitationes; 2. Notiones generales imitationum earum imitationes. Quam autem sensualem impressionem imitatur notio causalitatis? Nullam sane. Causam cum eo, in quod agit, coeuntem atque in id se immittentem — quis conspexit vel contrectavit?! Nemo sane. Nascitur ergo illa notio — consuetudine, eaque est tertia causalitas, qua Hume hoc loco utitur!

τοῦ Esse (absolutae positionis) renitentem, probe agnoscens. Leguntur in Fichtii *„Sittenlehre“* (p. 42.): *„Nicht das Subjective, noch das Objective, sondern eine Identität ist das Wesen des Ich, und das erstere wird „nur gesagt, um die leere Stelle dieser Identität zu bezeichnen. Kann „nun irgend Jemand diese Identität als sich selbst denken? Schlechterdings „nicht, denn um sich selbst zu denken, muss man ja eben eine Unterscheidung zwischen Subjectivem und Objectivem vornehmen, die in diesem Begriffe „nicht vorgenommen werden soll. — So kann man sich allerdings nicht wohl „enthalten zu fragen: bin ich denn darum, weil ich mich denke, oder „denke ich mich darum, weil ich bin? Aber ein solches weil und ein solches darum findet hier gar nicht statt; du bist keins von beiden, weil du „das andere bist; du bist überhaupt nicht zweierlei, sondern absolut „einerlei; und dieses undenkbare Eine bist du, schlechthin weil du es bist.“*

Quid inde edocemur? Quod jam scimus, ante Fichtium vero latuit, τοῦ Ego notionem non minus, quam rerum externarum notiones, tales quales experientia (interna ac externa) datae sunt, mere relativas (§. 30.), itaque notioni τοῦ Esse adaptandas esse, in quo negotio Metaphysica versatur (§. 34.).

Cur autem Fichtius id non suscepit?

E pluribus causis ea quidem gravissima est, de qua hic ubique disserimus: commixtio nempe notionum Veritatis ac Realitatis. Nisi notionem τοῦ Ego ut rectam veramque retineret, realitatem τοῦ Ego tollere sibi visus est, certissime tamen conservandam et quidem (ut opinabatur) unicam. Prorumpit (in libro suo *„Bestimmung des Menschen“* p. 130. 131.) in haec verba: *„Es giebt überall kein Dauerndes, weder ausser mir, noch in „mir, sondern nur einen unaufhörlichen Wechsel. Ich weiss überall von keinem Seyn und auch nicht von meinem eignen. Es ist kein Seyn. — Ich „selbst weiss überhaupt nicht und bin nicht. Bilder sind: sie sind das Einzige, was da ist* [1]*), und sie wissen von sich nach Weise der Bilder: — Bilder die vorüber schweben ohne dass etwas sei, dem sie vorüber schweben; die „durch Bilder von den Bildern zusammen hängen, Bilder ohne etwas in ihnen „Abgebildetes, ohne Bedeutung und Zweck. Ich selbst bin eins dieser Bilder* [2]*); ja, ich bin selbst dies nicht, sondern nur ein verworrenes Bild von „den Bildern. — Alle Realität verwandelt sich in einen wunderbaren Traum, „ohne ein Leben, von welchem geträumt wird, und ohne einen Geist, der da „träumt; in einen Traum, der in einem Traume von sich selbst zusammen „hängt* [3]*). Das Anschauen der als äussere sich darstellenden Dinge ist der „Traum; das Denken, das Wissen um dies Wissen, — die Quelle alles Seyns*

1) Cf. quae pag. 28. de imaginis notione diximus.

2) *Eine Consequenz des Satzes, man wisse nicht von den Gegenständen, sondern nur von seinen Vorstellungen, von „Bildern“ derselben (der Gegenstände), wenn man ihn auf den, mit dem davon Wissenden identischen Gegenstand, d. i. auf das „Ich“, anwendet.*

3) *Im „Ich“ sind alle Vorstellungen zusammen, als meine Vorstellungen.*

„und aller Realität, die ich mir einbilde, meines Seyns, meiner Kraft, „meiner Zwecke, — ist der Traum von jenem Traume.“

Fichtius nihilominus eam sui ipsius annihilationem repudiavit, vidimusque (§. 32.) notionem τοῦ Esse hac ipsa negationis eorum, quae experientia (externa et interna) dantur [1]), negatione, i. e. servanda eorum positione, contineri. Fichtius autem id non accurate perspiciens Kantiumque imitans ad ethicam recurrit (*Sittenlehre S. 14. 15. Anmerkung S. 18. 19; Bestimmung des Menschen 3. Buch*) atque ad hanc normam distribuit realitatem, quum tamen notiones τοῦ Ego atque reliquarum rerum experientia datarum ita conformare debuisset, ut notioni τοῦ Esse congruerent. Non conformavit, non correxit notionem τοῦ Ego quippe rectam — quibus notionibus realitas nempe denegari non possit, iisdem nec veritas; immo veritatis normam ex illa depromendam censuit, itaque identitas non-eorundem (ut Ego identitas Subjecti et Objecti) [2]) ad canonem veritatis evecta, — veritas metaphysica, veritas ut ita dicam vera, vulgari reliquarum scientiarum veritati opposita est quippe ab identitate non-eorundem abhorrenti [3]).

At vero non τὸ Ego solum id sibi jure suo postulat, se non esse Nihil, sed idem postulant omnes omnino res, quas experientia nobis objicit; de quacunque igitur earum dicere potes: Tenor utique notionis penitus est relativus, attamen, ne effugiat realitas, tracto eum ut absolutum, minime curans contradictiones inde (ut bene scio) enascentes. Ecce tot occasiones se gerendi ut Fichtius se gessit, quot res experientia dantur! Quod si indices formula generali, oppositorum scilicet identitatis, summam habes methodi Hegelianae, quae autem non tamquam abstracta haberi vult, sed tamquam evolutio Absoluti, quod progenitum est ex Fichtii Ego, cum id, ne angustius sit, ad Ego mundi universi expanderetur (pg. 5.).

Qua ratione naufragium factum est veritatis, ut realitatis naufragium (spectrum sane! §. 34.) evitarent. Empirismus quidem vulgaris hunc conflictum omnino ignorat, quamvis, si consentaneus sibi est, idem faciat, quin tamen id sciat. Immaturas utraque pars comedit uvas; empirismus acerbas eas esse non sentit, illi autem id norunt optime, sed opinantes, uvas alioquin amitti, malunt acidum nominare dulce, quam exspectare dum maturescant — disquisitione rite incepta et peracta. Qui de metaphysicae origine meditatur, perspicit illum conflictum, eumque extremam erroris consequentiam habet, confusionis nempe notionum veritatis et realitatis.

1) non igitur τοῦ Ego solius.

2) vel, si libet, oppositio eorundem.

3) Formulas: *„Identität des Denkens und Seyns“*, *„des Idealen und Realen“*, *„des Unendlichen und Endlichen“* etc.; itemque oppositionem: *„der Wahrheit des Verstandes und der der Vernunft“*, aliaque hujus generis huc pertinere, facile apparet.

§. 36. Metaphysica originem trahit a datis rerum notionibus, quae, quantumvis relativus sit earum tenor, servandae tamen sunt, ne prorsus evanescant (§. 33.). Iis occupatus non cogitat Nihil, ponit aliquid, quam positionem tollere fas non est. Haec autem sublatio evitari nequit coeca erga experientiam obedientia, insciique in illam incidunt, qui de iis, quorum sunt conscii, non judicant. Ideo nequit evitari, quia, ubi ea, quae cogito, relativa sunt, eorum unum quodque *non* ponitur sine iis ad quae refertur, itaque sublatio uniuscujusque reservatur, nisi accuratiores accedant interpretationes, quas comparare metaphysicae est; et interdictum talis sublationis, talis igitur reservationis, i. e. *τοῦ* Esse notio, canon erit, quem in indagandis illis (interpretationibus) sequi oportet. Eatenus sermo esse poterit de uno metaphysicae fundamento, nimirum de notione absolutae positionis, *τοῦ* Esse. Quatenus autem positio nulla est sine posito aliquo, quatenus positio absoluta non est nova quaedam, sed jam peractae positionis confirmatio eaque provocata positi, quod experientia datur, relativitate (§. 32. 33.), — eatenus metaphysica tot tamque varia habet primordia, quot quamque variae res experientia dantur, quarum positio tolli non potest. *„Wer ein Vergnügen darin fände, sich mit Vernichtungsgedanken zu tragen, der würde stossen an den Schein“. . . „Der Schein lässt sich nicht ableugnen, nicht einmal verhindern; man muss ihn setzen als ein recht eigentliches Nicht-Nichts.“ . . „Diese Nothwendigkeit wiederholt sich durch das ganze Gegebene hindurch bei jedem Schritte. Damit wird über die Menge des Realen noch nichts entschieden; aber die Menge der Antriebe, Etwas, unbekannt wie es ist, zu setzen, vergrössert sich ins Unermessliche. Wie viel Schein, so viel Hindeutung aufs Seyn.“ (Herb. Met. II. p. 78.).*

„Quae cuncta indicia nonne tandem idem significant? nonne tendunt et convergunt in unum quasi punctum, a multis etsi experientiae locis profecta.“ —

Res ita se habeat: certissime tamen ea unitas non datur experientia; qui autem eam anticiparet, non solum hypothesin fingeret, sed spem quoque accuratius illam definiendi dimitteret, quum haec definitio a ratione pendeat, qua disquisitio ad rem definiendam perduxerit. Quid significetur relationibus experientia datis, id ex iis solis depromere licet (p. 28.). *„Wie viel Schein, so viel Hindeutung aufs Seyn. — Das nun ist die völlig genügende Auctorität, welche dem Gegebnen, — und zwar ganz allgemein, das Gegebne sei was es wolle, — verbleibt; denn nun muss gesorgt werden, dass man das Reale, was dem Schein zum Grunde liegt, auf eine Weise bestimme und verknüpfe, wie es den Verknüpfungen angemessen ist, in welchen die Hindeutungen aufs Seyn unter einander stehen. Man kann diese Sorge nicht ablehnen; die Formen der Erfahrung verwandeln sich in Formen der Setzung des Realen“* i. e. ejus, quod ita est ponendum, ut nulli sublationis reservationi locus sit, — mere igitur positivi, affirmativi, nulla negatione ma-

culati. (Relativo quovis, qua tali, contineri sublationem — negationem —, paucis modo commemoravimus. p. 34.)

Quod autem ut rite perficiatur, non hujus dissertatiunculae, sed totius metaphysicae est. At periclitemur, quid pro nostrae commentationis proposito, ratione quadam aphoristica et critica valeamus!

§. 37. Id quod ponitur, quod cogitatur, A, sit mere positivum, sitque vetitum retractare ejus positionem; in eo nulla omnino difficultas reperiri potest; A est!

Eodem modo posset esse B et C et D etc. Absolutae positionis notioni determinatio, quoties adhibeatur, prorsus aliena est (prorsus non inest). Quot tali modo ponerentur, et posita servarentur, tot essent; quot qualia, tot entia; itaque Herbarti sententiae: „*die Qualität des Seienden ist schlechthin einfach.*" (*Met. II. S. 97.*) ut per se clarae ac indubitatae adsentires, nisi ipsae experientiae formae (§. 30.) causis illius sententiae obumbrandae redundarent: Quid enim ponitur, si dico rem quandam experientia datam esse, i. e. si ejus positionem habeo absolutam? Tum quovis in casu complexus ponitur plurium qualium, res („*Ding*"), quae etiam concipitur ut subjectum plurium notarum (praedicatorum), ut unum idemque earum, et non modo praesentium sed harum quoque, quas aliquando forsan in re detexeris; — vel concipitur qua possessor plurium qualitatum, — semper ut unum, correlatum ad plura [1]). Unius ergo positio pendet a positione plurium (notarum, qualitatum . . .) et vice versa, et positio unius cujusque earum a positione reliquarum. Quo in casu igitur nil ita ponitur, ut notioni τοῦ Esse satisfaciat, omnia relationibus scatent. Consuevimus ut rebus percipiendis, ita notioni plurium unius entis (et qua talis quidem) qualitatum. Quae consuetudo renititur nostrae supradictae sententiae; praetendunt v. c. qualia praedicativa exprimere (significare, manifestare . . .) tantum variis modis essentiam rei; ita dicentes sequuntur revera nostram sententiam simulque eludunt; nam quid nisi praedicativa illa qualia noscimus de isto uno? (aliisque praedicativis respondet aliud quoddam unum;) quodsi igitur varia (qualia praedicativa) non idonea sunt, quae idem exprimant, — nisi in unum quale vere coalescant, illa verba de uno;, cui aequalia sint plura, nil sunt nisi verba aut aperte nostrae sententiae assentiunt.

Multae res tibi obviae fiunt ad rerum experientia datarum typum effictae; memineris quaeso substantiae illius Spinozisticae, cogitantis et extensae, ad „hominis" effigiem excogitatae; quod „et" verba certe copulare potest, minime autem notiones intelligentiae atque extensionis in unam eandemque transformare; quamdiu autem id non potest, quamdiu pluralis numerus attributorum non abit in singularem substantiae, tamdiu

1) Ea „rei" notio complectitur experientiam externam internamque ac spectat ad omne praedicatorum genus, sive ad „materiam" experientiae pertineant, sive ad ejus „formam" (pag. 26.). Unum ejus notionis exemplar praebet τοῦ Ego notio, ut Subjecti cogitationum et volitionum . . . quam maxime diversarum.

— i. e. in aeternum — unitas illorum manebit verbum inane, nil nisi illud — Et!

Simili modo Psychologi consueverunt psychen variis facultatibus induere, quaestionem: Quaenam ipsa, iis induta, sit? obumbrantes, — ut Physici realia, quorum systema Materia est, elementa largiter instruere viribus, quoquo versus attrahentibus et repellentibus, id autem, cujus vires sint, minime curantes.

Quae omnia sola nostrae sententiae (τὸ entis quale esse simplex) ratione habita commemoro, ut testentur, quam inconsiderate ii, qui unum quid sit? dicturi multa variaque ponere non dubitant, consuetudini servientes ubi cogitandi disciplinae est obtemperandum.

§. 38. Verum aliis quoque modis contra nostram sententiam peccatur! Si concipis aliquid ut quantum discretum (v. c. acervum arenarum), vix id pro uno eodemque habebis; quanti autem continui notio multo magis lubrica est, minus offenderis notione unius entis quasi diffusi, pluralitas non adeo nuda prosilit ut in quantitate discreta; nihilominus continui notio continet plura, quorum alterum ab altero distinguatur aliquo modo necesse est; notioni v. c. extensi, notio differentiae locorum, quorum alter est extra alterum, non inesse non potest; omni locorum discrimine (distantia) evanescente notio quoque extensi evanuisset, nihilque nisi punctum relictum esset. Sed vertigine quasi corripi solent qui continuum intuentur, indefinitam eorum, quae a se invicem distinguere licet, multitudinem continens intra quamvis distantiam. Alioquin vix intelligas, quomodo materiale quid, quamvis sit quantum, pro ente putent uno. Quem in errorem ii incurrunt, qui atomos mechanicas vel chemicas fingunt eoque quidem confidentius fingunt, quo magis definita quaestio: atomus num extensa sit an non-extensa? [1]) notione infinitae parvitatis soporari potest [2]); vigilans certe notioni entis inter extensionem et non-extensionem fluctuantis quasi et suspensi acquiescere nequit.

Alii illam quidem quaestionem definitam sibi proponunt timentque responsum: Non-extensa! quum illud sequatur nova quaestio: quomodo e non-extensis derivari possit extensum? Sed fas non est illam quaestionem obruere novis! Praeterea in hac nova latere solet ridicula opinio, illum, qui elementa, quibus materia constat, non-extensa esse affirmat, mera eorum ut punctorum additione extensionem quasi creare velle; — quod consilium sane aeque absurdum esset atque illud, materiam definiendi per materiam, extensum per extensum; ingeniosa illa respondendi ratio, in infinitam ejusdem quaestionis repetitionem impellens!

1) Quam quaestionem ne commutes cum illa, quot sint materiae elementa? Nunc non quaerimus, num definita sit an infinita elementorum multitudo? sed num materiam quamcunque cogitantes, contendamus, plura (quotquot) esse an unum?

2) Huc pertinet sermo de „punctis physicis“, qui nisi meram negationem, materiam nempe non e figmentis mere geometricis constare, indicare fateatur, in errores incurrit quam maxime manifestos.

Quodsi tantam notionum perturbationem, tantumque primarum deliberationum torporem conspexeris, non demiraberis, notionem entis cum notione extensi, quae vitae consuetudine concrescunt, eandem haberi a permultis, quo praejudicio prima disquisitionis metaphysicae germina opprimi necesse est.

§. 39. „Verum — quomodo tandem notio rei experientia datae concipi debet, ut congruat cum notione absolutae positionis?“ (cf. pg. 29. 34.)

Periculum faciamus ejus quaestionis solvendae ita definite ut a nobis, quum systema metaphysicum conscribere non instituerimus, fieri potest.

Disquisitionem, ut simplicior fiat, partiamus oportet, quum notarum (praedicatorum) „rei“ unaquaeque 1) ad Subjectum, cui inhaeret, referenda sit; itemque 2) ad reliquas simul notas, quibuscum unita „rem“ constituit (quae omnes ad idem subjectum pertinent; alioquin tot res haberes quot notas, vel potius nec rem nec notas.)

1) Nota quaedam, quam α designemus, non ponitur absolute, sed relate ad id, cujus nota est [1]; α nihil esset omnino, positio esset nulla, nisi innixa tandem absolute-posito cuidam, quod itaque non denuo ut praedicativum quoddam vel subjectum praedicatis indutum cogitare i. e. quaestionem nostram serie infinita eludere, licet.

Absolute-positum A insigniendo (pg. 35.) dicemus: A est!

„At de positione τοῦ α agitur, eam ut non-nullam tueri debemus; ejus gratia recurrimus ad absolute-positum A; A ita ponendo nil nisi A posuimus, non autem α!“

Probe id tenemus et perspicimus, in illa τοῦ A solius positione minime positionem τοῦ α contineri; attamen non minus patet, nos τῷ A soli absolute-ponendo minime esse adstrictos. Plura ergo ita erunt ponenda: non A modo est, sed A^1 quoque et forsan A^2, A^3 etc.

Mera sane pluralitate entium (mera summa: A, quod est A non autem α, $+ A^1$, quod non est α sed A^1, $+ \ldots$) nihil juvamur, sed tamen scena mutata est; τῷ A per se, ut singulo, τὸ α adscribi nullo modo potuit, sed poterit τῷ A cum A^1, A^2, A^3, . . . [2]) comprehenso; minime idem est, num entia singulatim an una cogitentur complexa.

(Quae entium comprehensio, quae τοῦ A cum A^1 . . . communio — quomodo ulterius definienda sit? ea quaestio maximi sane momenti est sed nova, a qua solvenda quae praecesserant ita non pendent, ut eam potius nonnisi concessis illis, serio proponere queas. Id tamen illico patet, illa una-cogitanda, e quibus, non in meram summam comprehendendis, istud α tandem prodeat necesse sit, non posse esse omnino heterogenea sed invicem se modificare debere quocunque sit modo, quae modificatio vel jamjam α ipsum est, vel saltem ei praemittenda. Huc inferius denuo revertemur.)

2) At rei experientia nobis propositae non sola nota α inhaeret, sed β simul et γ et . . .

1) „accidens, cujus Esse est Inesse“ — ea definitio longe ante Kantium in scholis versabatur.

2) vel forsan cum uno eorum, qua de re hoc loco nil decernere licet.

Ut igitur propter propositionem „ens est α" (experientia datam) τὸ A cum A^1, A^2, . . . comprehendi oportet, ita propter notam β τὸ A conjungendum erit cum B^1, B^2 . . ., — idemque A, praedicati γ causa, cum entibus C^1, C^2, . . ., et sic porro.

A^1, A^2, . . . non minus diversa sint a B^1, B^2, . . ., utrumque a C^1, C^2, . . ., quam α a β, utraque nota a γ, etc. —

Initium ergo fecimus notionis „rei", ut experientia data est, minime quidem tollendae sed tamen ita, ut notioni τοῦ Esse par sit, conformandae. Relationes non abjecimus sed in alium quasi locum transtulimus; locus iis est inter illa, quae ut singula, ut in se spectata, relationibus absolvimus; experientia autem ipsa quaerentibus, quale quid sit? responsa mere relativa reddit [1]). Ad ejusdem (A) cum multis synthesin adducti et unitatem, quae datae rei notioni inest, et multitudinem servavimus [2]).

§. 40. Res experientia data mutationi obnoxia est; qualitates non possidet modo ut ita dicam sed mutat quoque.

Arduam rei mutabilis notionem statim praecedenti (de praedicatorum inhaerentia) meditationi adnectere hoc loco juvat, quae in notas sibi succedentes non minus cadit quam in simultaneas.

„Rei" gratia, quae tamquam complexio notarum α, β, γ, . . . offertur, reale A comprehendimus cum realibus A^1, A^2, . . ., cum B^1, B^2, . . ., cum C^1, C^2, . . ., etc. Quae res si in complexionem α, $\mathfrak{b}$, γ, . . . mutata cogitatur, nostra constructio in hanc abibit: Communio τοῦ A cum A^1, A^2, . . ., cum $\mathfrak{B}^1$, $\mathfrak{B}^2$, . . ., cum C^1, C^2, . . .

Rebus igitur se mutantibus non immutatur ens ipsum; absolute-positum non retractatur, non tollitur, sed conjunctiones τοῦ A variantur.

Qui dicit, rem aliquam mutatam esse, eam declarat aliam, non-eandem, tamenque simul eandem (nisi hanc identitatem servaret, non de re mutata, sed de duabus rebus diversis sermonem institueret). Cui identitati congruunt nostrae constructiones, eodem A in utraque servando, — non-identitati, substituendo seriem τῶν $\mathfrak{B}^1$, $\mathfrak{B}^2$, . . . illi τῶν B^1, B^2, . . . seriei.

§. 41. Notiones hactenus tractatas nunc verbis designemus: A nominemus substantiam, — A^1, A^2, . . ., B^1, B^2, . . . vel $\mathfrak{B}^1$, $\mathfrak{B}^2$, . . ., . . . causas, — causas praedicatorum „rei", tum simultaneorum quum sibi succedentium.

Ad defendendum substantiae nomen, in memoriam reduco, quod inhaerentiam praedicatorum attinet, notissimam illam substantiae definitionem (verbalem), eam esse subjectum quod non denuo praedicatum fieri possit;

1) Et notiones unius et multi, formae et materiae (pag. 26.), subjecti et praedicati, — correlativae sunt, quibus igitur notio positionis absolutae immorari nequit, quamvis a datis exordium capiendum sit.

2) Nil, nisi A esse, dicens, nulla praedicata ei tribuo, quare Hegelius, qualibus experientia datis nonnisi praedicativis implicitus, ens aequat τῷ Nihil.

quod mutationem spectat, illud: substantias sibi constare mediis in rerum vicissitudinibus.

Illi substantiae cum A^1, A^2, . . . B^1, B^2, . . . commercio imputantur praedicata; causarum igitur nomen iis entibus tributum, ad summum illis peregrinum sonet, qui modo simultanea praedicata respiciunt atque ignorant, jam ante Kantium rationem inhaerentiae sufficientem quaesitam, eique „vis“ nomen impositum esse.

Substantiae atque causae notiones sunt correlativae; nec A in se spectatum substantia est sed solummodo ob synthesin, quam init cum A^1, . . . vel B^1 . . ., . . .; eodem modo A^1 . . ., B^1 . . ., . . . ob eorum ad A relationem, causarum nomen induunt.

Quae relatio, quae comprehensio, communio entium nominari debebit nexus causalis [1]).

§. 42. Quas relationes si quis forsan cum relationibus spatii easdem censeret, non modo ad arbitrium conjecturam faceret, sed in sententiam omnino falsam incurreret. Nam notioni spatii inest, alterum esse extra alterum, distare, abesse ab altero, quum tamen omnis notionis nostrae (de nexu causali) vis in entium conjunctione, in consortio (in eo ut una sint) posita sit.

Verum identificationi notionis relationum causalium cum extensionis notione renitentes minime negamus, eas notiones aliquam inter se rationem inire posse; „immo debere“ forsan dices, si recorderis, corporis alicujus partes non solum esse extra se invicem dispositas sed cohaerere quoque inter se, quae cohaerentia ad nexum entium causalem eorumque modificationes inde enatas, aliquo modo revocanda erit; — sed taceamus de hisce, ad nostrae dissertationis finem non necessariis!

§. 43. Illas entium modificationes, quas nexui suo causali debent et quae, nisi praedicata jam ipsa, prima tamen catenae ad ea (praedicata) usque continuandae membra sunt (pg. 37. 1)), nominemus τὸ Fieri primarium. Videamus, quid de iis hoc loco statuere liceat:

Illam entis modificationem ita concipi non debere, ut absoluta positio tollatur, ex omnibus quae diximus apertum est: Quale absolute positum (Reale) nexu causali non aliud fit, non a se alienatur; modificati natura non quasi cladem passa est. Jam inde apparet, eas a Herbarto sui-conservationes apte nominari.

Non minus apertum est, affectiones [2]) entium, quae nexu causali unita sunt, mutuas esse debere ut nexus ipse mutuus est; ex iis enim ut singulis minime enascuntur illae sui-conservationes, eaeque igitur non sunt quas vocant „transcendentales“ sui-determinationes.

1) Injuria autem diceres, ad eundem nexum causalem omne Fieri revocandum esse; in psychologia v. c. de nexu causali inter perceptiones sermo erit.

2) Absit passivitatis notio! nostrum vernaculum „*Zustände*“ magis quadrat ad nostram notionem.

Entium certorum, quae ut substantia vel ut causae se habent, modificationes erunt diversae a modificationibus entium alius qualitatis; varietas igitur ejus affectionum tenoris (qualitatum, a qualibus absolute positis proxime derivatarum) ad minimum adeo late patet ac varietas qualitativa entium ipsorum.

Herbartus vocat discrimen entium qualitativum, sine quo mutuae eorum modificationi locus est nullus, contrarietatem eorum.

Naturam sui-conservationum vix aliquis notis a spatio repetitis describere suscipiet; illarum enim qualitas solummodo a qualibus absolute positis et forsan a nexu inter ea causali pendere possunt; quod autem utrumque (quale τοῦ ὄντος et nexus entium causalis) a spatii notione satis abhorret (§. §. 37. 38. 42.).

Propius jam accessimus ad temporis notionem, quo praedicata ac, qui iis respondent, nexus causales sibi succedunt; ad ea pertinet illa notio prorsus relativa, non autem ad entia, quatenus sunt, nec ad vim consortii substantiae cum causa, quae simul, una cogitari debent, nullo temporis intervallo interposito; temporis notio non in eventu (actu . . .) singulo sed in eventuum ordine versatur, neque ita adhibenda est, quasi causali nexu semel posito pausa fingenda esset, usque dum entia se invicem adigant ad sui-conservationes.

Quibus igitur satis superque prohibetur opinio, eas sui-conservationes esse motus, quorum notio spatii ac temporis notiones in se continet, quare Herbartus illas motibus opponit denominatione: „*innere Zustände.*“ Neque vero minus certum esse videtur, motus quodammodo referendos esse ad illas entium sui-conservationes. Quamvis autem arctissimam (§. 42.) sane eam relationem ut problema indicasse atque, ne relatio ad identitatem usque exaggeretur, vetuisse, pro nostrae dissertationis consilio sufficiat, — juvamur tamen brevi, iis quae diximus innixa, disputatione de „viribus motricibus“, cui locus non inepte hic dari videtur.

§. 44. Permulti enim quaerenti, quid sit materia? respondent ita, ac si illis viribus ejus essentiam definire fas esset, quod, quum notio immutationis locorum adeo relativa sit, nemo, nisi omnem τοῦ Esse notionis recordationem excusserit, concedere poterit. Quodsi illae vires motrices ut qualitates praedicativae habentur, subjectum, cui inhaereant, illarum quasi possessor, exemplar praebet „rei“, cujus notionem supra (§. 37.) tractavimus. Vidimus, quodvis praedicatum nexum plurium significare; sed is quoque, qui id non viderit, non videre non potest, illud praedicatum („vim“ nempe „motricem“) omnino versari in notione locorum eorumque immutationis, ergo in relationibus inter plura, simulque nullatenus edicere, quid sit, quod locum modo servat modo immutat?

Quae cuncta aeque contra definitionem materiae tamquam ejus, quod moveri possit 1), pugnare, apertum est et a multis agnoscitur; non autem perspicitur a plurimis temeritas, qua illae locum servandi vel relinquendi

1) vel ut tamquam inertis; inertiâ nimirum accuratius definitur illa mobilitas.

necessitates (quas nominant „vires") elementis materiae [1]) ipsis ita adscribunt, quasi iis jam in se spectatis, independenter igitur a mutuis ipsorum relationibus, propriae essent. Ignorent isti omnia, quibus eam opinionem refellimus, argumenta, modo ne obliviscantur, nullum nisi sub his inter plura relationibus dari motum, ex iisque non modo quantum et directionem motus sed num existat nec ne?, omnino pendere. Experientia ergo mera non minus quam metaphysica de ipsa meditatio respuit illam de viribus motricibus opinionem, cujus adpendix est illa de materia ut mole passiva [2]) notio.

Qua igitur temeritate quaestionem de veris motus principiis (fontibus) vix positam jam oppressam conspicimus, sorsque theoriae, quam vocant mechanicam, aeque tristis esse deberet ut revera splendida est ac celebranda, si illa (principia) inquirenda sibi proposuisset. Qui autem phraseologia non fallitur, ut fallitur „Materialismus", persuasum sibi habebit, mechanicam potius in motibus his in alios transformandis versari. „Materialismus" igitur perversae eorum, quae Mechanica tradit, interpretationi innititur; ea propriam suam firmitatem atque prosperitatem non parum debet prudentiae, qua quaestiones de materiae essentia ac de principiis motus inde repetendis evitavit. Mechanica datam motus notionem omnino non transgreditur sed, mathematicis praecipue meditationibus innixa, partim propositionum, quas dicunt hypotheticas, ope transire valet a motibus observatis ad motus non-obervatos. Quo justo rerum, quas Mechanica vere gessit ac gerit, splendore obcoecati multi sunt proclives ad quaestiones alienas sub ejus imperium redigendas; non modo multa sed omnia scire iis videtur, — licentiae exaggerandi hominibus adeo solitae exemplum e plurimis unum!

§. 45. Notione sui-conservationum [3]), ad quas tandem revocanda sunt rerum praedicata (et simultanea et temporis intervallis distincta), exposita, quoad in disquisitione tam generali, qualis hucusque fuit, ac intra dissertationis fines fieri potuit, eaque notione contra praematuras falsasque, praejudiciis inprimis materialisticis (quae dicunt) innixas, interpretationes defensa, locum modo indicare licet, ubi nova problemata existunt, v. c.:

1) Ens quoddam multiplici in nexu causali versans, ad plures eosque varios (pag. 40.) sui-conservationis actus sollicitatur; quidnam ob eorum in uno eodemque ente concursum eveniet?

2) Qui in entibus ipsis eventus nonne possunt esse principia consortii causalis transformandi?

3) Ens A sit in causali cum B nexu, B cum C; quaenam est vis relationis τοῦ A ad C? quaenam est vis τοῦ B, ut termini medii inter A et C intercedentis?

1) iisque corporeis, quae supra — pag. 36. — oppugnavimus.

2) ut capsula viribus inhabitata, quam „Dynamismus" ut vere inutilem abjecit.

3) cujus praecipue comparandae consilio ducimur in eligenda per vastum metaphysicae campum via.

Jam hoc loco prospexisse sufficiat in disquisitiones citeriores; nonnulla adjiciemus inferius; nunc nos convertamus ad experientiam internam.

§. 46. Me considerandum mihi ipsi proponens, ego praesens mihi sum ut individua complexio variarum sensationum, perceptionum, volitionum etc. — ut subjectum omnium eorum praedicatorum, simul vel diverso tempore ipsi inhaerentium (cf. pag. 26.). Notio igitur ea τοῦ Ego, ut diversissima quaeque cogitantis, volentis, . . . subjungenda est generali (supra — §. 39. — tractatae) „rei" notioni, cui (rei) multa, diversis temporibus diversa, praedicata inhaerent. Inde sequitur, nos et ejus „Ego sum" gratia ens quoddam modo cum his, modo cum illis entibus, ut suarum affectionum causis, iisdemque aeque ad sui-conservationes sollicitatis, conjunctum cogitare debere (cf. §. §. 41. 43.). Illi enti, quod universim nominamus substantiam, in exemplo nunc tractando animi nomen tribuentes, usum loquendi sequimur. Animus, ut quodvis ens, est omnino simplex, non ergo v. c. systema virium, facultatum . . . originale, quamvis eas sibi parere, earum systema in se excolendo exstruere liceat, cujus (systematis) primordia non nisi illae sui-conservationes (§. 45. 1) esse possunt. Quem cultum indagandum Psychologia sibi proposuit, quae itaque ramus est metaphysicae, quum tamen toties periculum factum sit, omnem philosophiam inserendi in psychologiam.

§. 47. Non solum de rebus extra me sitis (v. c. de aliis hominibus) conscientiam habeo, sed de me quoque tamquam de eo, qui illas res cogitat, de me, cujus affectiones sunt cogitamina cujusvis generis. De quibus sermonem non instituo, ut oppugnationem idealismi, quae jamjam dictis continetur, continuem; sed de conscientia propriarum affectionum agitur; eas solas immediate percipimus, non autem affectiones entium aliorum, v. c. hominum reliquorum, quas nonnisi eorum motuum atque loquelae interpretatione, cogitaminibus . . . in nobis ipsis compertis innixa, assequi possumus.

Solummodo igitur in nobis ipsis illarum, de quibus hucusque modo quam maxime generali disserere licuerit, sui-conservationum notitia praesto esse potest. Qualitas sensationum elementarium simplex esse debet ut animi ipsius, iis modis se conservantis; et revera simplex reperitur; v. c. tenor sonus cujusdam vel sensationum ad loca colorata relatarum . . . Sunt affectiones mere internae, de quarum longitudine ac latitudine, crassitudine vel figura . . . quaestiones nemo sane movebit (pag. 40.)! Nil iis inest peregrini quasi ex aliis rebus profluentis, in animumque influentis ab eo passive recepti [1]); notioni passivitatis cujuscunque, in pluribus internis affectionibus inter se confligentibus demum locus est (§. 45. 1)). Qui id non tenent, optimis in pugna contra „materialismum" theoretica armis destituti sunt.

1) Leibnitzius abhorrens a notione „physici influxus" absurda, omne reale inter entia consortium negandum esse, eique igitur nec sensationes deberi censuit.

Nec magis sensationes habere licet materiei instar passivae, in quam peculiares animi vires nescio quot et quales? dominentur, sed ex iis ipsis sensationibus, qua actibus unius ejusdemque entis, partim simul partim certo temporis ordine acquisitis, e mutuis earum rationibus qualitativis et quantitativis enascuntur primordia vitae quam dicunt psychicae, — evolutionis (s. v. v. !) legibus suis adstrictae, quae eo altius progreditur, quo minus impeditur extraneis affectionibus illorum scilicet entium, quibuscum animus est in consortio causali (pag. 39. §. 43.).

§. 48. Kantius formas nobis innatas, ad singulas sensationes in repraesentationem rei nobis objectae jungendas, excogitavit, nec non alias synthesis formas (v. c. categorias); omnis autem in nobis synthesis principium prorsus sufficiens id est, quod de actibus unius ejusdemque entis agitur; immo eam ob unitatem omnes animi actus in unum eundemque coalescerent, nisi eorum natura (τὸ quale) talem unionem impediret; quod discrimen qualitativum (contrarietatis nomine a Herbarto definitum) perfectae illi unioni repugnans, debetur qualibus entium, quibuscum animus communionem causalem iniit, contrariis (pag. 40.).

Quae evolutio psychica fastigatur quasi in illo Ego, in illa conscientia sui ipsius, tamquam unius ejusdemque media in varietate ac fluctuatione eorum, quae cogitamus, agimus, patimur, . . . perstantis; e qua conscientia praeclare effulget illud synthesis de quo diximus principium. Quae evolutio impediri potest atque turbari nimia animi a corpore, i. e. ab aliis entibus dependentia, quibuscum contextum relationum causalium aliquem constituit; idque fit non modo in animalibus, sed quoque nonnunquam in hominibus v. c. in deliriis febris, in animi quos dicunt morbis [1]). A teleologicis, quas Herbartus de libertate psychica [2]) hominis sani profert, considerationibus (praecipue in Psychol. vol. II.) hoc loco nobis abstinendum est.

Conspicuum inde est, illud Ego, illam subjecti cum objecto identitatem [3]), Herbarto videri productum psychicae evolutionis. Correlativa illa τοῦ Ego sibi ipsi praesentis notio [i. e. unius quod nullum est nisi diremtum in duo (subjectum et objectum), quae nisi sibi opposita nulla sunt, — vel, si vis, notio duorum, quae, nisi unum idemque sint, certe τὸ Ego non constituunt,] apertissime repugnat notioni absolutae positionis, quam tamen, nil certius habens nisi me esse, expostulo; datum Ego significat (pag. 28.) sane ens (animum) ut unum systematis

1) Psychologia ut quaevis scientia exordiens summae simplicitati studere debet; quare removendae sunt illae aliaeque res physiologicae ab ejus initiis. Praeterea sermo de impedimentis evolutionis, antequam de ea cognitionem jam comparaverimus, inanis esset. Videbimus denique, psychologiam magistram potius quam discipulam physiologiae esse posse. (cf. §. 49. pag. 44.)

2) Quam non eandem esse cum ethica apparet ex iis, quae in prima hujus dissertationis parte diximus.

3) Quam vel subjecto-objectum, vel objecto-subjectum nominare licuerit.

mutabilis elementum, multis ac diversis entibus, in causali inter se consortio versantibus, constantis.

Herbartus igitur cum Fichtio (ipsumque sequentibus Schellingio atque Hegelio) in hoc uno et gravissimo consentit, quod censet τὸ Ego prorsus pertinere ad ea quae fiunt, sed quam maxime a viris illis dissentit notione absolutae positionis hic ut ubique conservata, aliaque hinc theoria τοῦ Fieri constituta; non denique oblitus est, quaestionem de psychica τοῦ Ego genesi alienam esse a quaestionibus de ejus decore ac dignitate; ea autem jam supra tractavimus!

§. 49. Quibus igitur commemoratis [1]), regrediamur ad fundamentum psychicae, de qua loquuti sumus, evolutionis, scilicet ad sensationes elementares i. e. ad unicum, quod experientia ipsa dari potest, exemplum sui-conservationum. (§. 47.)

Quodvis ens, quum capax sit affectionum plurium ac contrariarum, sive simul, sive diversis temporibus comparatarum, turgescere quasi potest interna quadam evolutione. Psychologia itaque ut theoriae de evolutione interna generalis pars applicata offertur, sed ut uberrima simul atque unica, cui experientia ipsa praesto est. Facile inde colligitur, quanti momenti sit psychologia in omni quoque natura contemplanda. (pag. 43. 1))

Qui „viribus motricibus" assueti notione internarum affectionum atque evolutionum offendantur, ii reputent quaeso num, quum de „viribus" cogitent, notione externi, extensi alicujus occupati sint? num „vis" sit rigida an liquida, longa an brevis, rotunda an angulata . . .? Sine dubio iis, qui materiam „viribus" induunt, minime in animo est [2]), materiam induere alia quadam materia!

Conspicere sane licet, eos de vi impellente, de nisu, . . . sermones postrema esse vestigia conatus, naturae interni [3]) quid vindicandi, ne in meras superficies (i. e. meras negationes) abeat, — postrema rudimenta originalis illius naturam universam contemplandi rationis prosopopoeicae. Ratio ei opposita, pugnis anti-polytheisticis Monotheismi non minime adjuta [4]), illa ratio irrationalis, quae somniat de externis nullatenus ad interna referendis,

1) referendis quoque ad primam illam pag.   . quaestionem.

2) „Viribus" quidem non raro materias substituebant, ut v. c. „vi nervorum" fluidum nerveum vel electricum, — „viribus vitalibus" materiam specificam quandam vitalem. . . Quae fanatismi ut ita dicam materialistici spectra conspiciens mirari non poterit si decreverint, motum ipsum esse fluidum quoddam! *„Wir sehen Massen, die sich in wenigen Puncten berüh-„ren, und doch ihrer Grösse gemäss beim Stosse auf einander wirken. Was ist natürlicher, „als die Bewegung wie ein* Fluidum *zu betrachten, das durch die Berührungspuncte sich „plötzlich ergiesse und alsdann in den Massen gleichförmig vertheile." „Jedermann sieht nun „zwar die Nichtigkeit dieses Fluidums deutlich ein, welches selbst wiederum müsste bewegt „werden." (Herb. Met. II. S. 504.)*

3) *Inneres, nicht Inwendiges!*

4) Id dicentes minime exprobramus ecclesiam christianam, quae magisterium in doctrinis physicis sibi non vindicet.

pergat modo metaphysicam ignorare verum experientiae ipsius, internae scilicet, firmitate a triumpho suo impedietur. Nemo se ipsum ut meram molem habebit, cujus essentia sit, distantias quasdam servare vel variare (§. §. 43. 44.); nemo dubitat, suas sensationes, cogitationes, volitiones . . . in alios homines quodammodo transferre; nemo experientia ductus sustinet opinionem, animalia nonnisi automata esse, quorum motus nullo modo respondeant internis quibusdam eventibus; nemo denique illam naturam prorsus exanimatam, quae calculis sufficiat, non autem homini, qui tenet, se non esse phantasma inter phantasmata, sufferre posset, nisi nihila ista in spatio disposita „viribus" variis induerent, nisi vestibus quasi se aliosque celarent de absoluta illorum inanitate. Qua autem mera „virium" ad molem additione et ut ita dicam agglutinatione problema rationis inter externos eventus (motus, configurationem, . . .) et internos intercedentis obscuratur magis, ut vidimus, quam agnoscitur.

§. 50. Idque problema, quod tam late ac totum experientiae regnum patere intelleximus, in exemplo notissimo obvium fit, multorumque ingenium sollicitavit; cuicunque scilicet compertum est, sensationes . . . suas pendere ab externis conditionibus ac viceversa motus (corporis sui proxime) scaturire e voluntate. . . At quam maxime manifestum est, primas ejus casus singularis recte disquirendi conditiones deesse, quamdiu ambitum problematis ignoras, quamdiu omni de sensationibus . . . notione cares, quamdiu denique corpus tamquam inertem molem, cui „vires', variae sint adsutae, consideras.

Nostrum hoc loco non est, illud problema aggredi; sufficit pro nostrae dissertationis fine, internorum actuum et evolutionis ex iis enatae notionem illustrare ac defendere. Tantum autem abest, ut disquisitiones ejus generis, quas praemisimus, dependeant ab illius problematis solutione, ut hanc nonnisi istis innixam aggredi et ad finem perducere possis. — Qui eam interni notionem agnoverit, naturam ratione quadam intuebitur ab illa materialistica toto coelo abhorrente, etsi forsan problema illud ut non-solutum, immo ut aenigma aeternum haberet; non parvi vero illud discrimen aestimabit, quisquis cognoverit, sententias de rebus physicis cum judicio de omni vita ac mundo quam arctissime conjunctas esse [1]).

§. 51. Supra (§. 48.) vidimus, necessariam ac primam evolutionis psychicae conditionem esse qualitativam sensationum animi elementarium contrarietatem, qua carentes in unam eandemque affectionem coalescere deberent. Quantumvis ab iis, quae inde sequantur, inquirendis abstineamus hoc loco, id tamen luce clarius est, resistentiam contra ejusmodi coalitum

1) Physicam v. c. vel Chemiam eo genere disquisitionum metaphysico non indigere, experientia teste, qui ita gestiant, eos praeterea interrogare licet: omnis doctrina num inde pendet, ut quanta quaedam exacte observari possint, quae dein calculis tractes? Quaenam esset Chemiae conditio, si Chemici, ponderis constantia beati, supersedere non possent labore notionum, quae sibi constent, comparandarum? . . .

non esse posse annihilationem earum, quae invicem sibi renituntur; non possunt sibi resistere nisi consistant; contrariarum annihilatione perventum esset ad Nihil vel si eas, quatenus non sint contrariae, ab interitu eximere velis, reversum esset ad istam unam eandemque affectionem, minime autem ad internam evolutionem ex illo conflictu oriundam, ad cultum qualis tum est animi. [Salva autem contrarietas absolutam illam sensationum unionem impedit, partialem modo admittit; quanta haec sit, id pendet — de primis initiis loquor! — a gradu contrarietatis earum atque intensitatis; si de affectionibus jamjam conjunctis (concretis) sermo est, magis magisque intricantur hae relationes [1)].

Quodsi cogitationes nostrae per antitheses ejusmodi excluduntur i. e. si iis, quibus occupati sumus, aliae in oblivionem dejiciuntur — idque continuo evenit, quum in quolibet temporis momento, quantumvis vigiles, minimam earum partem possis in conscientia retinere, — exclusae illae et depressae notiones nequaquam deletae sunt et exstinctae; immo vero reproducuntur, denuo emergunt, impedimentis cessantibus in conscientiam revertuntur; senem v. c. conspice, cui saepissime pueritiae imagines redeunt vividiores quam imagines eorum, quae nuper ipsi evenerant.

In regione mundi interni igitur nullum est principium annihilationis (interitus), sed vicissitudinis tantum et conformationis. —

1) Quamquam ab iis, quae diximus, probe distinguenda sit ulterior quaestio, num illas quantitates ad calculos revocare liceat? non tamen de ea omnino tacere volumus. Loquamur v. c. de intensitate, de vigore sensationum; idem valere de quantitatibus cujuscunque generis, facile apparebit. Omnis de quantis sermo innititur comparationibus; comparemus igitur sensationes α, β, γ, δ, . . . quoad intensitatem! differat intensitas τοῦ α ab illa τοῦ β; eadem (= non-alia) differentia intersit inter τοῦ β ac τοῦ γ intensitatem; eadem porro inter illam τοῦ γ et δ; . . . dupla igitur inter illam τοῦ α et γ, atque inter illam τοῦ β et δ; tripla inter illam τοῦ α et δ, et sic porro. (Differentiae inter se eodem sensu comparantur, quo ea, e quorum comparatione istae prodibant). —

Caveas ne ea alienis quibusdam obumbres, v. c. quaestione de causis, cur sensatio quaedam in majorem intensionem augeatur . . .? Qui corpora metitur, an forte prius cognovit causas extensionis, nec majoris nec minoris, corporum metiendorum? In eandem commixtionem incurreret, qui nobis opponeret: „At augmentum intensitatis m^{ti} gradus ad $(m+a)^{tum}$ non est idem atque ejusmodi augmentum n^{ti} gradus ad $(n+a)^{tum}$." Qui nempe sermo causas talis augmenti spectat. Quem si refers ad quanta extensionis, nil valet, nisi virium (quas dicunt) expansivarum, v. c. caloris, quantis effectas illas extensiones non simpliciter esse proportionales; is ipse sermo comparat, ergo praesupponit duas quantorum series, alteram illarum virium, alteram quantorum extensionis. Eodem plane modo qui cogitat de diversis conditionibus, sub quibus intensivum quoddam ab m^{to} gradu ad $(m+a)^{tum}$, vel ab n^{to} ad $(n+a)^{tum}$ evehatur, jam percurrit seriem quantorum intensorum, quae eadem manet, utrum ejus ad alteram istarum conditionum realium seriem rationem detegere contingat nec ne. — De conditionibus sub quibus quantitatum datarum (intensivarum vel extensivarum) mensionem vere exsequi possis, ut calculus ab iis proficiscatur vel ad ea revertatur, disserere nimis remotum est ab hoc loco. — Cf. *Herb. Psychol. Abhandl. 2. Heft. Vorwort. Derselbe: Ueber Anwendung der Mathem. auf Psychologie. (Königsb. 1822.)*

Qui interrogaret, num entia interire possint atque exstingui? de omnibus, quae parte metaphysica tractavimus, nil intellexisset. Sed dantur rerum immutationes; disseruimus de iis, ac notarum (praedicatorum) vicissitudo nos perduxit ad consortium causale, quod entia modo ingrediantur, e quo eadem modo egrediantur (§. 40.); ea igitur est regio, in quam adtentio sit advertenda:

Ut notae (praedicati) alicujus gratia causalem entium nexum depoposcimus atque hinc sui-conservationem vel sui-conservationes cujusvis eorum entium, v. c. substantiae, proxime esse repetendas censuimus, — ita propter novam notam novae quoque entis ejusdem sui-conservationes locum habere debent. Quae novae affectiones cum prioribus (cum una earum vel pluribus vel cunctis), quas conveniunt, aut in unam prorsus coalescunt, aut, si ipsis (uni vel pluribus vel cunctis) qualitative-oppositae sint et quatenus id sint, tum eatenusque confligunt quodam modo, qui autem, ut brevi ante diximus, ab interitu omnino alienus est.

Qua synthesi (magis minusve perfecta) priorum sui-conservationum cum posteris unius ejusdemque entis omne de perpetuitate priorum dubium removetur, — dubium scilicet impellens ad hanc quaestionem, an affectiones illae internae supersint nexui causali isti, sine quo non nascuntur? Quae quaestio praeterea redolet opinionem illam de „influxu physico" perversam, quae id Fieri primarium, quod nomine sui-conservationis designavimus, ut cladem se-conservantis habere vellet, ut peregrini quiddam enti obtrusum, quod ens prima quaque occasione ejicere conetur. (pg. 39. §. 43.)

Quam aliena sit a sola jamjam experientia interitus notio, testes sint Chemia et Mechanica, quarum utraque dicit substantiam perdurare media in vicissitudine; Mechanica carere non potest principio virium, quas dicit vivas, conservandarum.

§. 52. Immortalitas igitur animi, si non modo eam ut substantiam, sed ejus cultum quoque respicis, primis jam metaphysicae a Herbarto exstructae sententiis innititur; immortalitas ergo minime similis est privilegii, quod homo superbiens sibi arroget; vidimusque (p. 16.) talem angustiam ab ipsis votis, quae ex ideis practicis manant, alienam esse. —

Nequaquam nos fugit, quaestionem nostram non posse absolvi, nisi disseratur de illa, quae universum rerum cursum gubernat, intelligentia, opposita coecae necessitati vel coeco casui, qui mundum conflasset. Pars itaque teleologica ethicam ac metaphysicam excipere deberet; sed brevitatis necessitate impedimur. Cur Herbartus problema teleologicum solummodo agnoverit et aphoristice, non ut alia problemata methodica disquisitione pertractaverit [1]), ea potissimum causa est, quod probe perspexerat, quantopere discrepet exiguus experientiae nostrae ambitus a problemate, quod universum mundum complectitur, tractando;

1) cf. *Herb. Encyclopädie aus pract. Gesichtsp.* (*1. Aufl.*) *pg. 323.* . .



praeterea religiosam offensionem capiebat ex ejusmodi conatibus, qui aptissime designantur illa Spinozae magniloquentia: „Si modo recte adtendatur ad haec pauca, quae modo diximus, nihil circa Dei intellectum proponi poterit, quod facillimo negotio non solvi queat.“ (Cogit. metaph. Pars II. Cap. VII.)

Attamen Herbartus teleologicam mundi contemplationem efficacissime tuitus est a systematum erroribus, quod quidem breviter indicare supersedere non possumus:

Impugnavit enim falsam illam oppositionem, qua teleologiam aeque ac libertatem a natura legibus adstricta discordantes finxere.

Oppugnavit atheismum materialisticum.

Oppugnans idealismum errorem illum exstirpavit, qui jam Kantii scripta acerbe personat, et quo decepti intelligentiam e mundo effulgentem nil nisi suae ipsorum intelligentiae refulgentiam opinantur, ita ut mirabundus τοῦ κόσμου spectator revera Narcissi similis sit, sui ipsius imaginis amore capti.

Proscripsit tandem Herbartus illos spectatores, qui propriam benevolentiae pulchritudinem non agnoscant, sed eam ex voluptate dumtaxat aestiment, quam comparare forte benevolo contingit. Quae perversitas — quis enim honos voluptati ipsi tribuendus est?! — in contemtionem adducit venerationis, quae providentiae debetur, saluti omnium entium quae sentiunt consulenti. Arma doctrinae, quibus contra haec pugnare possis, sola ex benevolentiae idea recte definita desumenda sunt. — De quibus omnibus quum ea, quae maxime necessaria videbantur, commentati jam simus, finem nostrae dissertatiunculae, quam „veniae legendi“ obtinendae gratia conscripsimus, imponere licet, uberioremque ejus materiei expositionem alii occasioni relinquere, nos a patriae linguae usu non prohibenti.

Corrigenda:

pag. 8. lin. 16. post „demonstrandum quidem“ inseras (§. 12.)
— 13. — 19. — „se exseras“ — ,
— 17. — 7 inf. legas indicanda ejus.
— 19. — 16 — — pag. 17.
— — — 8 — post „mere theoretica“ inseras (pg. 7. §. 11.)
— 23. — 10 legas deformitate.

TYPIS E. A. HUTH.